



Specimen historico-theologicum de Gerardi Zutphaniensis vita, scriptis et meritis

<https://hdl.handle.net/1874/300748>

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

DE

GERARDI ZUTPHANIENSIS

VITA, SCRIPTIS ET MERITIS.

TYPIS J. VAN BOEKHoven.

gl
SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

DE

GERARDI ZUTPHANIENSIS VITA, SCRIPTIS ET MERITIS

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MD. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

WILHELMUS ARNOLDUS KONING, e pago Voorburg.

A. D. XVIII M. JUNII, ANNI MDCCCLVIII, HORA I.

—• 502 •—

TRAJECTI AD RHENUM,

A. J. VAN HUFFEL.

MDCCCLVIII.

Иерархия святых
Святые отцы и монахи

Святые мученики

Святые апостолы

Святые пророки

AVUNCULO DILECTISSIMO


ET

FRATRI CARISSIMO.

Hasce studiorum primitias.

D. D.

AUCTOR.



PRAEFATIO.

*Academicis studiis valedicturus, quaesivi argumentum de quo
ugere possem, ut studiorum meorum publicam redderem ratio-
nem, ad summos in Theologia honores petendos. Campus
Theologiae late quippe patens effecit, ut paene ignorarem,
quo me verterem. Ex multis autem disciplinis, historia semper
maxime mihi arrisit, quare ex Theologia historica speciminiis
materiem quaerendam esse putavi. Sed quod jam dixi de
Theologia universe spectata, non minus de illius historica
valet parte. Tandem multis argumentis ponderatis, ad illam
historiae Ecclesiasticae partem, oculos converti, quae agit
de patria nostra, in primis de ejus Sacrorum Instauracionis
praeparatione. Exponendum mihi sumsi vitam GERARDI ZUTPHA-
NIENSIS. Probanda enim mihi videtur hujus aetatis historicorum
ratio, ut biographiis conscribendis melius cognoscatur alicujus
saeculi historia. Absit arrogantia dicto, quod libellus meus tanti
esset, ut hoc in lucem emisso, clariore luce splenderet hujus
periodi cognitione. Scio meum opus magnis laborare vitiis sed
pro juvenilibus viribus feci, quod potui et tempus urgebat.*

neque omnem huic tribuere mihi licitum erat industrias, instante etiam examine ecclesiastico. Huc accedit quod hocce libello conscribendo non finem impositurus sum, meis de viro illo disquisitionibus. Latent adhuc in Bibliotheca Wiesbadensi M.S.S., quorum tamen inspiciendorum potestatem mihi facient, penes quos harum rerum cura est in Ducatu Nassavico, viri Excellentissimi. Ut iis gratias referam jubet me ea, qua nonnulla jamjam mecum communicarunt, benevolentia. Uberius deinceps vernaculo sermone de eodem viro agere mihi proposui.

Antequam transeo ad illam pertractandam, triste quidem, dulce tamen munus mihi restat. Parentibus optimis hasce studiorum primitias dedicare mihi licitum, cheu! non est. Deus eos, me infante adhuc, ad beatorum sedem admisit.

Tibi vero, Avunculo aestumatissimo! offerre possum. Tuis inprinatis curis studia mea Academica incepserunt et ad bonum ducere finem mihi contigit. Ex imo pectore gratias Tibi ago; omnia quae sentio, eloqui non possum. Benedictio divina Tibi sit praemium omnium benevolentiae atque amoris documentorum, quae a Te accepi. His me persequi velis, precor!

Tibi etiam, Fratri carissimo et doctissimo! opusculum dico. Gratias Tibi solvo quam maximas pro caritate, qua semper erga me usus es. Pater coelestis Te conservet, firmetque affinitatis et amicitiae vinculum, quo nos conjungimur!

Ad praeceptores me convertens, Tibi prae caeteris Doctissime EKKER, gratum erudivisse discipulum persuasum habeas cupio,

qui me per quatuor annos in Gymnasio Ultrajectino degentem singulari cura et humanitate exceperisti. Maneas adhuc longe, hujus scholae p[re]ae[st]itus D. O. M. precor!

Non pauca Tibi accepta resero Clar. TER HAAR, Promotor aestimatissime! Fer triennium, quo usus sum scholis Tuis Historicis et Ethicis, multum profeci. Quotiescumque ad Te adibam benevolentia et amicitia semper me exceperisti. Pro eo, quod mihi in hoc scribendo specimine summopere adfueris, gratias Tibi solvo quam maximas. Diu esse pergas Academiae decus, discipulis amicus, Ecclesiae Patriae coronam.

Vobis etiam Clar. BOUMAN et VINKE, gratias agere mihi liceat, qui mihi benevoli duces exististis in castris Theologicis. Vitam vestram Deus conservet, ut per multos annos plures juvenes formare et educare poteritis ad munus illud nobilissimum, Euangeli annunciationem!

Quominus Te obliviscar Clar. MOLL, animus meus impedit. Tu me peregrinum singulari humanitate accepisti. Tuis monitis hocce opus originem debet. Me omni tempore, omni modo adjuvisti. Incolumem Te reddat P. O. M. Te mihi altero in proposito, amicita et auxilio haud defuturum esse, precor!

Tibi ut gratum animum significem restat, Excell. GEVERS VAN ENDEGEEST. Munere civili, quod dolemus, liberatum, diu Te Patriae bono superstitem relinquat precor D. O. M.!

Grato animo recordor lectionum Virorum Clarissimorum. Hae autem, licet utiles sint, non sufficere tamen mihi videntur

*ad vitam civilem praeparandum. Haec eruditio-*nis partem
Vobis debo, Amici carissimi, quibuscum per quinquennium
unius Almae Matris sui alumnus. Vobis ut palam gratias
agam, animus meus cogit. Vobiscum in primis Paranympsis
PATYN et VAN ITTERSUM, amicitiae vinculum, me conjunxit
morumque similitudo. Juvenes amici suimus, vita academica
hoc vinculum firmavit, ne aetas virilis id dissolvat, caveat
Deus!

Nec vos silentio praetermittere possum sodalitiorum „Fabri-
cando Fabri Finus” et „Studiis Fovetur Ingenium” membra.
Semper recordabor horarum, quas Vobiscum degi, studio et
gaudio dicatas. Magni facio Vestrum amicilium. Spero fore,
et vita mea futura fructus perspiciendo datura sit, eorum
quae a Vobis omnibus didici. Discedens ab nostra Alma Matre
Vobis ex imo pectore precor: „Vivat, floreat, crescat utraque
societas.”

Reliquos amicos nominatio n enumerare in mente habui.
At quaeso, egitne vera amicitia ejusmodi manifestatione?
Vobis omnibus, qui mei fuerunt amici, gratias ago pro
amicitiae beneficiis in me collatis, nec mei in posteris immemores
sitis, opto. Valete omnes!

Scripsi Cal. Jun. anni MDCCCLVIII.

CONSPECTUS.

—•—•—•—

	Pag.
Introitus	1.
CAPUT I. Vita domini Gerardi Zutphaniensis	7.
CAPUT II. Scripta Gerardi Zutphaniensis	30.
SECTIO 1. Scripta practica	31.
§ 1. De utilitate lectionis sacrarum literarum in lingua vulgari.	
§ 2. De precibus vernaculis	42.
§ 3. De tractatu contra monachos mendicantes.	46.
SECTIO 2. Scripta in quibus clementum practicum et asceticum promiscue ahsunt.	50.
Vitae Jesu	51.
SECTIO 3. Scripta mere ascetica	56.
§ 1. De reformatione virium animae	"
§ 2. De spiritualibus ascensionibus	63.
CAPUT III. De Gerardo Zutphaniensi Sacrorum Instauracionis προδρόμῳ.	66.

—•—•—•—

..... ὡσπερ τινὲς ὑπουργοὶ τῆς
Θείας προνοίας γενηθέντες.

Diod. Sic. T. I : 1.

INTROITUS.

Praeclarae illius, qua veluti gemmate pretioso splendet
diadomi operis prologus sententiae, veritatem jam antiquitus
fuerunt qui addubitarent, nec hodie desunt. Alii quid sen-
tiant ipsi viderint, mibi quidem nunquam eripi illam opinio-
nem atque evelli ex animo patiar: historiac vocem qui
audiat, deum ipsum audire loquentem. De historico idem
puto affirmari potest, quod de poëta PLATO: 1) θεὸς αὐτός
ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτοῦ δὲ φθέγγεται πρὸς γῆμας.
Nullum in universo historiae campo, latissimo illo, locum
inveniemus, sive veterum populorum annales replicantes,
seu nostri saeculi cursum animo atque cogitatione per-
sequentes, ubi is, cuius nutu omnia reguntur, non ves-
tigium reliquerit vel monumentem sui mortalium res omnia
moderantis casque adhuc praesentissimo auxilio susten-

1) Vid. Plat. Jon. p. 534.

tantis, extare voluerit. Absit hic exemplorum multitudo. Cogitemus paulisper Sacrorum Instaurationem. Non possumus non admirari Divini Numinis curam in summis illis excitandis viris, qui inter Reformatores maxime celebrantur, quatuor, ingenio quidem et indole dissimiles, eodem tamen omnes ardentissimo flagrantes studio religionis, qua nihil carius nobis esse debet, a superbissimo Pontificis Romani dominatu vindicandae. Sed cogitemus etiam tempora quae iis antecesserant, nam praesens aetas, ut est in proverbio, parturit futurum.

Saeculo decimo quarto Mysticismus quem bene dixeris: 1) Ecclesiae hujus aetatis $\delta\delta\upsilon\tauον$, radices egit ipseque mox in arborem excrevit. Cujus rei hae tres afferri possunt causae: populorum status civilis et religiosus, humaniorum apud eos deterior conditio.

Discordiis politicis principes inter et populos ortis dilacebatur Europa. Illorum quisque de principatu ceterorum contendebat dum hi vehementer cuperent vindicare sibi libertatem. Aureum diadema CAESARUM Germaniae, ut Eridis pomum, principes inter et principes jactum erat. Omnes populi tam Galliae, quam Italiae et Germaniae, hisco bellis bonis et vita saepe privati, odium inter se ceperunt et contra communes eorum tyrannos, quod una

1) Cf. F. BÖHRINGER, Die Deutschen Mystiker der 14ten und 15ten Jahrhundert p. I.

alterave occasione, tantum Reformationis praetextu indigeret, ut se manifestaret. Neque in patria nostra conditio fuit melior. Omnes regiones, nondum uno vinculo, uno regimine conjunctae, duas continebant partes, quae acriter inter se per unum sacculum et dimidium de principatu dimicarunt. Cives contra cives, unius domus incolae inter se pugnabant et fere tempus advenisse videbatur, quo una Christi vaticinationum replereretur 1). Talis fuit status politicus, nec ei praevaluit religiosus.

Papa Romanus, caput Ecclesiae, Roma fugere debuit et Avinioniam se contulit, ubi a Galliac rege honorifica, ut ita dicam, captivitate tenebatur. Ecclesia Romano Catholica profitens se errare non potuisse, videre debuit duos, URBANUM VI et CLEMENTEM VIII, nonnumquam tres viros, papalem dignitatem tenentes et de illa dimicantes. Non mihi lubet ignorantiam tam Ecclesiae principum, quam Monachorum stupiditatem exemplis illustrare, et his praemissis justa erit conclusio, eruditionem laicorum non magni fuisse momenti.

Scholasticorum doctrina post GUILIELMUM OCCAM, ejusque discipulum GABRIELEM BIEL plane evanuit, ita demonstrans eam humano ingenio insufficientem praebere fontem, et quod sibi proposuit consilium, nempe conjunc-

1) Matth. X : 21, Marc. XIII : 25.

1) Cf. hac de re MERLE D'AUBIGNE Hist. de la Réf. Tom. I. passim.

tionem et conciliationem fidem inter et religionem, non assequens. *Mysticismus*, qui jam in lucem prodiit et antidotum esse debuit Scholasticismo, in alterum se traxit extreum et hominem ad vitam speculativam, sed omni fructu carentem, damnare coepit, cujus rei exempla nobis dant in Germania *TAULERUS*, *HENRICUS SUSO*, nostraque in patria *RUYSBROEK*. Quo oculos vertemus eandem adspicimus obscuritatem. Attamen jam radii perrumpere cooperunt illius lucis, quae unum tantum saeculum post omnes Europae gentes, a parte Septentrionali ad Meridionalem, illustraret. Nec quod ad politicam, neque quod ad religiosam conditionem attinet, haec lux oriebatur a parte regum populorumque ducum sed ex populi sinu ipso, in primis civibus magnarum urbium. Hi enim foedera commercialia composuerunt, cum omnibus fere gentibus. Nostri cives ubique in peregrinis portibus versabantur et sua ipsorum industria, remedium instituere conati sunt, contra principum destructiones sacerdotumque segnitiem.

In Ecclesia haec lux non ab ipsa sed extrinsecus provenit, iterumque e populi sinu. Nonnulli viri in Germania conveniebant et instituebant congregationem 1) «amicorum Dei» vel «discipolorum sapientiae,» quorum exemplum nostra in patria secutus est *GERARDUS MAGNUS*, condenda congregazione «Fratrum communis vitae.» Religionis con-

1) BÖHRINGER, l. l.

ditionem emendare voluerunt et optimis ad hoc consilium assequendum usi sunt remediis. Se applicaverunt ad erudiendos pueros, ut, etsi nunc obscuritatem non plane tollere potuerunt, novum magis excultum genus exstiterit. Communicabant religionis dogmata vernaculo, non amplius, quo monachi uti consueverant, Latino sermone, et mystica sane ratione, non autem ut ipsi Mystici philosophici, ut ita dicam, non evangelica unionem hominem inter et Deum praedicaverunt. Non iniquo modo LUTHERUS de nostris «fratribus communis vitae» testatus est, dicens: 1)
 «eos primum exiisse ab Evangelio,» quod magni Reformatoris dictum laudis testimoniorum perquam honorificum vocari potest. Haec erat et politica et religiosa Europae patriaeque nostrae conditio, vivente auctore nostro GERARDO ZUTPHANIENSL.

Quod antea mihi propositum habueram, ut GERARDI GROETE et FLORENTII RADEVINI Nostri amicorum memoriam celebrarem, id postea relinquendum esse putavi. Verebar ne argumento latius patenti, quippe efficeretur ut disputatio nec doctorum nec rudiorum desideriis satisfaceret. Quare si qui inter lectores cum illis viris pleniores paulo notitiam contrahere cupiant, eos ablegatos velim ad ea scripta in quibus fusius hoc argumentum tractatur. 2)

1) Cf. ULLMANN, Ref. für die Reformation, tom. I.

2) DELFRAT, Verh. over de Broederschap van G. GROOTE, BÖHRIX GER 1. l. ACQUOY, XIV G. MAGNI Epistolae.

Speciminis ratio haec erit, ut parte *prima* viri vitam,
a THOMA A KEMPIS conscriptam, annotationibus, quam fieri
potest accuratissime, illustratam exhibeam,

secunda exponam de ejus scriptis, quae quidem nostram
aetatem tulerunt,

tertia inquiram in quaestionem qui ei tribuendus sit
locus inter nostros qui Sacrorum emendationem praepa-
rasse censemur.

CAPUT I.

VITA DOMINI GERARDI ZUTPHANIENSIS

UTI MEMORIAE PRODITA EST

A

THOMA à KEMPIS. 1)

I.

Libet jam devoti et cruditi viri Domini 4) GERARDI DE SUTPHANIA virtutes breviter indagare, et pro bono memoriali vitae ejus, exempla atque 2) scripta futurae generationi imitanda proponere 3): qui inter primos fratres et divinae legis zelatores meruit praestantissimus nominari. Et 4) licet brevi vixerit tempore, gratissima tamen nobis reliquit doctrinae monumenta. Erat enim studiosus valde in scripturis Sanctis, trahens etiam ex abditis sententiis doc-

1) TH. à K. Op. edit. Somm. p. 999—1002.

torum varias aromatum species, contra vitiorum morbos, ad sanandum animarum languores: sicut praecipue patet in duobus libellis ab eo editis: quorum unus incipit: «Homo quidam;» et alius. «Beatus vir» intitulatur 5). Ab infantia namque et puerilibus annis, ad discendum inclinatus fuit; ingenio habilis, et ad artes avidus liberales: refugiens ex animo negotia secularia, et quaecunque poterant studium sapientiae impedire.

II.

Cumque adolevisset bonae indoles juvenis, 6) perrexit ad extraneas scholas melius imbuendus; ibique toto conamine satagebat bene frequentare, 7) mane diluculo surgere, et ad audiendam lectionem tempestive properare. Omne tempus ad studendum breve ipsi videbatur, semper ex ore magistri aliquid uberioris scientiae capere cupienti, quod armariolo pectoris sui tenacius inscrebat. In tantum animus ejus flagrabat in scientia proficere, ut vehementer tristaretur, quando in scholis non legebatur a magistris. Proinde quandoque flebat, quod diebus celeribus lectio non siebat: male contentus, 8) quod dies sine fructu lectionis transiret. Longe namque distabat ingenua mens ejus a segnitie obtusorum et evagatione lascivorum: qui per plateas currentes lusibus delectantur insanis, exhorrentes scholas et ecclesiam raro visitantes. Hic vero pensabat ad

quid venisset, et cur scholae institutae essent, ideo acriter studio incubuit et tam sapienter profecit, ut de scholastico discipulo, aeternae sapientiae discipulus postmodum fieri meroretur. Nam Deo disponente, 9) tandem ad studium Daventriense accesit: ibique inventis devotis fratribus, 10) domino Florentio firmiter adhaesit, et sufficienter jam edoctus, 11) fragilem mundi statum pro Christi amore et propria salute dereliquit.

III.

Coepit itaque conversus diligenter emendationi insistere, et in spirituali fervore proiectu, ac mentem suam ab omnium temporalium rerum implicatione segregare; et tamquam bonus eremitarius cellam diligere, et ad interna exercitia se dare, tempus suum 12) studendo et scribendo expendere; ita ut multi stuperent, quia raro visus est egredi, et solatium foris non captaret. 13) Habuit autem pro solatio maximo libros sanctos: et pro spatiamento campi, quaesivit sacra palatia coeli. Transiens vero ad ecclesiam, quasi sine advertentia hominum pertransivit. Cumque interrogaretur an non impediretur a transeuntibus secularibus respondit: «Cogito quod grec porcorum illac transit, quid ad me de statura hominis.» Sedens in camera sua ita intentus erat operi suo, scribendo, legendo, orando: quod saepe de tota die non aperuit fenestram,

nec foras respiceret, licet aura satis serena fuisset. Dixit ergo ei quidam ex fratribus: «Cur non aperis fenestram tuam? Tu sedes hic quasi in cavea clausus, bonum es- set, quod aliquam respirationem caperes.» Respondit homo deditus studio disciplinae: «Si possem vacare, et scirem tantum praecogitare, forte bonum esset, quod hoc facerem.»

IV.

Quaesitum est ab eo, quid cogitaret, quando ad prandium pulsatum esset. Qui ait: «Sicut ad unum, sic ad reliquum opus vado.» Pene nihil curabat iste, quid come- deret, vel quando hora refectionis esset. Et cum neces- sitas ad comedendum urgeret, magis ad auditionem sacrae lectionis, quam ad reficiendum corpus festinavit. Fuit praeterea incurius sui corporis, majorem curam gerens de viribus animae reparandis. Et nisi dominus FLORENTIUS pro ejus necessitatibus sollicitus fuisset, cito seipsum des- truxisset et defecisset. Hinc accidit, quod 14) occultum morbum (quem medici fistulam vocant) diu patienter por- lavit, nolens aliquos secum occupari, nec pro se expen- sas fieri, sed dolores in corpore pro animae remedio pati. Verum, ubi dominus FLORENTIUS hoc percepit, medicum advocavit, qui curam ejus gereret, donec sanaretur. Erat autem 15) armarius et custos librorum, 16) magnam di- ligentiam habens pro libris colligendis et scribendis.

V.

Et multis clericis extraneis sacros codices concessit, ut haberent in domibus suis et in scholis lectiones sacras, ad vitandum fabulas otiosas et vagos circuitus in festis, quibus praecipue admonentur clerici intendere divinis. Et dicebat: «Isti libri plus praedicant et docent, quam nos dicere possimus. Nam libri sacri sunt animarum nostrarum lumina et solatia, atque vera medicamina vitae: quibus non minus in hac peregrinatione carcere possumus, quam ecclesiae sacramentis.» Diligebat autem sacrae theologiae libros, super omnes divitias mundi; et plus gaudebat de bono codice bene scripto, quam de prandio laulo, et optimi saporis vino. Sciebat enim, quod non erunt sapientes, qui delicatis ferculis et potibus delectantur. Qui vero studiis sacris dediti sunt, replebuntur sapientia, et coelestibus secretis merentur admitti. Igitur libros in maxima reverentia habuit, desiderantissime in eis legit, et sub diligenti custodia eos servavit.

VI.

Plures 17) etiam clerici ad eum pro diversis casibus et dubiis solvendis veniebant, et libenter collationes ejus audiebant, quia erat vire eloquens et doctus, et in multis

exercitationibus probatus, sciens quid unicuique deberet respondere. Frequenter dominus FLORENTIUS ipsum advo- cavit pro negotiis domus disponendis, et praecepit eum eo tractabat de his,¹⁸⁾ quae juris peritiam requirebant, et spiritualem causam expetere videbantur. Undi si quid grave et arduum occurrisset, hoc declarationi et examini magistrorum, ubi oportuit, reservavit; audiens reverenter doctores, et sequens incunctanter sanctorum auctoritates, dicta sua testiomniis sacris patenter affirmans. Quapropter a sapientibus et literatis viris, pro ingenio ipsi collato mirifice laudabatur, sed ipse pro nihilo duxit hominum laudes. Non enim eloquentiae studuit esse sectator, sed bonae conscientiae observator. Itaque ad intelligentiam scripturarum, non tam longa exercitatio studii eum juvit, quam Spiritus sancti informatio, qui intellectum dat par- vulis, et mysteria sua revelat mentibus puris. Ad quam sane puritatem consequendam, omne exercitium suum direxit: incutiens timorem Dei noviter conversis, incre- pans torpentes, et ad mortificationem vitiorum exhortans in virtutibus proficere cupientes. «Si,» inquit «negligimus certare contra vitia, praevalebunt passiones, et incidemus in laqueos diaboli, qui semper insidiatur profectui nostro. Idecirco laborandum est cum omni diligentia, ut viriliter repugnemus, quia corona aeternae gloriae vincentibus est promissa.”

VII.

Postquam ergo 19) illuminatus ille Sacerdos, humiliter et devote inter fratres cum multa gratia conversatus esset, et cum plures libros perlegisset: ante finem vitae suae, quasi novitor conversus, 20) «Speculum Monachorum» et «Profectus religiosorum» iterum legere coepit; in quibus spiritum devotionis studuit recolligere, et ad primativum fervorem se innovare. Nec diu supervixit tali proficiendi zelo accensus, sed memor domini 21) LOBERTI defuncti, quem plurimum dilexit, et in cuius obitu lacrymas multas fudit, ipsum in brevi subsecutus est. Nam missus 22) cum fratre Amilio 23) ad Abbatem in Dicke-ninghe doctorem decretorum, cum quo saepius tractare de casibus juris consuevit, revertens de via Wyndesem venit: ibique pernoctando, infirmatus est usque ad mortem.

VIII.

Cui Amilius inquit: «Videtur mihi, quod mori properas.» Ad quem ille: «Hoc etiam videtur mihi.» Itaque crescente aegritudine in nocte 24) sanctae Barbarae virginis, quasi somno levi sopitus, spiritum vitae exhalavit 25), anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, aetatis suae tricesimo primo. Cujus corpus a priore et fratribus

digno cum honore, in transitu ante fores Ecclesiae est sepultum. Audiens autem Dominus FLORENTIUS obitum dilecti domini GERARDI, 26) contristatus est valde. Et flevit ipse, et omnes fratres ejus cum eo fletu magno, charitate nimia compellente. Quia sublatus est ab eis frater charissimus, qui erat columna domus, et altera manus in negotiis pertractandis. Sed benedictus Deus, qui talem vi-
rum nobis habere concessit.

ANNOTATIONES

IN

GERARDI ZUTPHANIENSIS VITAM.

—•••••—

1. GERARDI DE SUTPHANIA. Proprium ejus nomen fuit: GERARDUS ZERBOLT. Ab urbe sua natali de SUTPHANIA, de SUTFANIO s. SUTPHANIENSIS appellatur. FABRICIUS in Biblioth. Medii aevi T. III pag. 127, hoc de eo memorat: «GERARDUS DE SUTFANIO, SUTPHANIENSIS s. ZUTPHANIENSIS fuit ex primis fratribus congregationis Clericorum in commune viventium, a GERARDO DAVENTRIENSI institutac, defunctus Coloniae» (Hoc non ita esse, mox patebit). «Anno 1598, aetatis 51. Ejus scripta: «De reformatione interiore sive virium animae» et «De triplicibus adscensionibus et descensionibus spiritualibus.» Haec duo scripta, edita Coloniae 1559, atque inde recussa in Bibl. Patrum atque in novissima Lugdunensi editione

T. XXVI pag. 255—289. Praeterea sermones varios
hujus GERARDI memorat TRITHEMIUS.» TRITHEMIUS, in
libro: de Script. Eccl., eum vocat Tentonicum, quae
nominatio nostra non indigebit illustratione. Verum
est quod dicit, eum floruisse circa annum Domini
MCCCXC, minus recte haec subjungit: «eum claruisse
in Gymnasio Coloniensi.» Tunc temporis duo viri vi-
vabant ejusdem nominis, qui a TRITHEMIO et quod ad
eorum personam et quod ad eorum scripta attinet plane
confunduntur. Conf. VALERIAS ANDREAS: Bibl. Belg. in
voce. Alter fuit theologus Coloniensis, qui praeter:
«quaestiones sententiarum nobiles» etiam scripsit:
«quotlibetarias;» alter auctor noster, qui teste Chr.
Massaeo in Chronico floruit circa annum 1593. Recte
igitur Ant. Possevinus, celeber Jesuita, praeceptor
FRANCISCI VAN SALES, non dubitat, quin male scripse-
rit idem Trith: eum denominans, CONRADUM DE ZUT-
PHANIA. Val. Andr. l. 1. — Sax. Onom. T. VII notat
eum vixisse circa annum 1390. Natus est aº 1367.

2. *atque scripta*, scripta ejus memorantur haec:

1. Tractatus de vestibus pretiosis.
2. In quendam inordinate gradus Ecclesiasticos et
praedicationis officium affectantem, cuius initium:
Consulit quidam clericus.
3. De spiritualibus ascensionibus, qui incipit: Be-
atus vir.

4. De reformatione virium animae, qui incipit: Homo quidam descendit.
5. Duo excerpta ex libris Teutonicalibus, continentia:
 - a. Tractatum de utilitate lectionis sacrarum literarum in lingua vulgari.
 - b. Tractatum de precibus vernaculis.
6. Liber sermonum.

Catalogum scriptorum vide apud Rev. Dav. Ill. p. 61
Trith. I. l. Val. Andr. I. l.

Duo priora, ut mihi saltem innotuit, aevum non tulerunt. Duo sequentia typis mandata sunt Parisiis apud PETIT, et Coloniae 1539. Cf. Val. Andr. ll. Horum prior iterum Daventriae apud JAC. VAN BREDA a° 1486, et posterior Basiliae a° 1492. Cf. w. MOLL, de Boekery van het St. Barbara-klooster te Delft, pag. 44. Ambo etiam inveniuntur in editione Sommalii operum THOMAE à KEMPIS, Lugd. 1623. Tom. II. pag. 1—150. Ejus editionis exemplar unicum ut videtur, quod in patria nostra superest, commodavit mihi, ea qua est benevolentia, Cl. VETH. Versio libri: «de spir. ascens. adest in Bibl. Reg. Hag. sub titulo: «van der op-climminghe» et Ms. invenitur in codice Wiesb. de quo supra egi. — Duo tractatus typis mandati sunt in Rev. Dav. Ill. pag 44—61 et in h. v. r. Hist. Episc. Dav. pag. 88 seqq. v. RIJN in Kerk. en Wereldl. Dev. ea omisit.

3. *qui inter primos fratres.* Intelliguntur: fratres communis vitae. Etiam appellantur: fratres bonae voluntatis; fraterheeren; devoti clerici; Presbyteri et Clerici extra religionem in commune viventes. Etiam: fratres collationarii (Collatiebroeders), quia nonnullis in locis orationes habuere, collatia nominatas. Fratres GREGORIANI, a SANCTO GREGORIO, cuius effigiem paucis in domibus, ut Sanctum tutelarem, venerabantur.
Cf. DELPRAT l. l. pag. 246.
4. *licet brevi viixerit tempore.* Anno aetatis tricesimo primo jam diem supremum obiit.
5. *ab infantia namque et puerilibus annis.* De parentibus ejus prorsus nihil novimus. H. v. n. in l. l. memorat. «Claruit autem ZUTPHANIAM natalibus GERARDUS ZERBOLT.» Ex voce «claruit» concludi fortasse posset eum nobili ex familia oriundum fuisse. Certe autem aliquid hoc de re nusquam inveni.
6. *perrexit ad extraneas scholas.* Nempe ad Universitatem Sorbonnae, Lutetiae Parisiorum, ubi audivit lectiones insignium Sorbonnae praceptorum, nominatim NICOLAE OREMI (1582), JOHANNIS DE YMENHUZEN, dialectici acuti, JACOBI DE ALTAVILLA, et celeberrimi JOHANNIS BURIDANI
Cf. DELPRAT. l. l.
7. *mane diluculo surgere.* Lectiones sive potuis orationes, nam legebant omnes praceptores, ut etiam nunc mos est in Academiis tentonicis, matutino tempore

habebantur, quod cohaerebat cum tota, eo tempore usitata, diei divisione.

8. *Quod dies sine fructu transiret.* Hoc facile accidere poterat, nam libri non exstabant. Os magistri unicus erat fons, ex quo hauriri potuit. Si autem uno altero^{ve} die clausum erat, plane cum natura et indole GERARDI ZERBOLT convenit, ut exclamaret, hunc diem sine fructu transiisse.
9. *tandem ad studium Daventriense accessit.* Per quot annos Parisiis degit, ignotum est, ideoque quo tempore Daventriam venit. Fuit saltem ante annum 1584, nam tum GERARDUS MAGNUS obiit, et ZUTPHANIENSIS amicitiae vinculo cum illo conjunctus erat.
10. *Domino Florentio.* Nempe FLORENTIUS RADEVINUS, tunc temporis amicus et quasi manus dextra GER. MAGNI, postea ejus successor Cf. TH. à K. in ejus vita. DELPRAT. l. 1.
11. *fragilem mundi statum dereliquit* i. e. vitae religiosae et ecclesiasticae non politicis negotiis se dedit. A FLORENTIO 4 viri in Fratrum domo Daventriae, Presbyteri facti erant, inter quos etiam GER. ZUTPHANIENSIS.
12. *studendo et scribendo.* Hac in re testes nobis sunt ejus scripta. Non autem alia et quidem insima neglexit. Hoc testimonium de co invenimus in vita LUB. BERNERI Sect. 16. «Dominus GERARDUS SUTPHANIAE, qui erat corrector errorum in mensa.» Cf. ULLMANN, Ref. für die

Ref. T. II. p. 100. — Quadam vice debebat abluere scutellos coquine; sed cum adeo debilis esset in corpore (nam fistulam habebat) quod opus perficere non poterat stando, perfecit sedendo. Dumbar Anal. T. I. p. 47.

43. *Habuit pro solatio maxima libros sanctos.* Hoc ex hisce verbis patet. «Libri sancti sunt animarum nostrarum lumina et solatia, atque vera medicina animae, quibus non minus carere possumus hac in peregrinatione, quam Ecclesiae sacramentis.» Cf. Rev. Dav. III. I. 1.
44. *Occultum morbum, quem medici fistulam vocant.* «Quadam die dominus FLORENTIUS vocavit ipsum ad se per nuntium, nuntius autem invenit eum vomentem ex stomacho (habebat enim debilem stomachum) non tamen excusans se ipsum, statim ivit ad dominum FLORENTIUM» Cf. Dumb. Anal. T. I. p. 47. *Fistulae* «nennt man widernatürliche, veraltete Oefnungen, durch welche sich Flüssigkeiten aus irgend einer Höhle oder einem Ausführungsgange nach aussen, oder in eine andere Höhle entleeren. Cf. M. J. CHELIUS, Handbuch der Chirurgie», Tom. I. pag. 399.
45. *armarius et custos librorum.* Hoc munere, a FLORENTIO accepto, quam strenue functus est. Plane conveniens erat cum insatiabili ejus scientiae fame. Libri suaे erant deliciae. Eos non solum legisse, sed etiam criticam artem ab eo adhibitam fuisse palet ex hisci

ULLMANNI verbis: «ZERBOLTS kritische Kenntnisse darf man natürlich nur nach dem Standpunkte der Zeit beurtheilen. Die hebraische Ursprache des MATTHAEUS erkennt, wie wohl nicht in allgemeiner Uebereinstimmung, auch die neuere Kritik an; beim Hebräerbrief aber wird mit völlig zureichenden Gründen das Hebräische Original, und noch entschiedener beim Brief an die Römer, und, — was ZERBOLT später auch noch berührt — beim Evangelium des MARCUS das Lateinische verworfen. Sehr bemerkenswerth ist aber doch das Urtheil ZERBOLTS über das Verhältniss der Vulgata zum biblischen Grundtext, und man sollte fast meinen, er habe dabei in prophetischem Geiste auf die 4^{te} Session des Tridentinischen Concils Rücksicht genommen: denn er sagt wörtlich so: «In der Hebräischen und Griechischen Sprache ist die Heilige Schrift weit mehr authentisch als in der Lateinische. Denn die Lateinische Uebersetzung ist stets aus dem Hebräischen und Griechischen Text zu berichtigten und zu verbessern, wenn etwa eine Zweideutigkeit in der Lateinische Sprache vorkommt.» Dav. III. p. 55. ULLM. I. I. Tom. II. p. 122. Anm.

46. *magnam diligentiam habens pro libris colligendis et scribendis.* «Laborus erat,» ait DUMBAR I. I. p. 47, «et diligens in opere scripturae; nam non solum scripsit tempore, quo communiter scripserunt fratres,

sed tempore illo explicito, excerpit ex Sacra Scriptura ea, quae pro domo nostra vel aliis personis poterant deservire.»

17. *Plures etiam clerici veniebant.* Fama ejus sapientiae et sagacitatis longe dispersa orat. «Ingenium habuit valde lucidum quare dominus EVERARDUS DE ALMELOE sensit de eo, quod Dominus bene fecit sibi, quod juvenis discessit ab hac vita, nam si diu vixisset, tot homines pro consilio cucurrisserent ad eum, quod concursus non deservisset sibi vel domui nostrae.» DUMBAR l.l. pag. 48.
18. *quae juris peritiam requirebant.* Facere non possum quin unicam quae nobis superest ex ejus epistolis totam hic reponam, probantem quippe tum ejus juris peritiam et amicitiae vinculum quo cum FLORENTIO conjunctus erat.

«Specialissimo sibi in Christo Domino FLORENTIO, viro devoto, Vicario Daventriae.

GERARDUS ZUTPHANIO pars vestri. Sanitatem corporis et anime pro salute.

Carissime pater, feria secunda precedente ivi Tractum, ubi maneo adhuc propter negotium, expectans adhuc responsum finale a Decano sancti SALVATORIS vel magistro JOHANNE DE AERNHEM, adhuc enim nichil responsi habemus: sed spero quod hodie Decanus respondebit, quod si sic, cras ibo Amersfordiam. Nichil adhuc factum est pro negotio, sed hoc omnes famant,

sicut et nos prius timebamus, quod difficile dabitur in genere licentia omnibus erigendi oratoria, etc.; alia forsitan bene admitterentur: Credo quod adhuc oportet negotium agitari trans Iselam 1) coram Episcopo, per Abbatem de Dickeninghe vel alios amicos; quidquid nos fecerimus rescribam vobis. Lettere quas mittitis et quas libenter recipio, pro colloquiis semper istam contenen particulam, Ego FLORENCIUS manebo apud fratres donec maturius deliberemus; timeo, quod nimis mature et diu deliberabitis: omnibus amicis nostris, sicut scitis, videtur quod fugeritis, et hoc dicit Frater Tydemannus Grauwert, nullo sibi quicquam monente, quod omnino fugeritis; apparel queque michi, salvo judicio Fratrum et vestro, in quo ego ero bene semper contentus: Quia quicquid monui aliis non sic monui, quasi utique vellem fieri, sed aliquando monui domino WERMBOLDO 2) etc. ut, si postea essetis alibi, magis scirent vos esse coactos, quam ex appetitu; sed videre meo apparel michi, quod tutius esset modo quod fugeritis: Primo quia post in-

1) CORAM EPISCOPO. Eo tempore Episcopus Rheno-Trajecti fuit FREDERICUS VAN BLANKENHEM, qui hoc munere per 30 annos functus est, 1393—1423 Cf. DELP. I. l. p. 58.

2) WERMBOLDUS. Nomen ejus fuit WERMBOLDUS VAN BUSCOP (BOSKOOP). Celeber fuit orator sacer Cf. de eo w. MOLL, J. BRUGMAN tom. I. p. 12, 148, 152 et 158.

fectionem frustra esset fuga et de facili potestis infici
 per anhelitum colloquentium, per aerem in pluribus
 locis civitatis, ut credendum est, jam infectum, per
 Domum nostram, ubi dimisse sunt, ut timendum est,
 reliquie male a Fratre nostro JOHANNE plissime me-
 morie: Timeo sepe, quod Domus nostra non sic evadet,
 sed sicut in domo JOHANNIS TER POERTEN, ita vel ali-
 qualiter sic accidet. Item secundo si unus vel duo
 Fratrum infirmarentur, non possetis cum honore fugere,
 vel ad minus fieret multo major rumor quam modo.
 Et multe alie michi videntur rationes, quas scriberem,
 nisi nuntius vix expectat, quod parum seribo.
 Obloquia hominum et scandala modicum reproto, quod
 scilicet sunt aliqui, qui possunt facere morientibus,
 quicquid fuerit faciendum; et si scandalizantur contra
 rationes hoc est scandalum Pharizeorum, quod non
 appareat curandum. Jam exiretis quasi acturus negotium,
 in quo et valde dominus WERMBOLDUS indiget consilio:
 Dicitis quod nos duo sufficimus; respondemus, si vos
 dominus HUGO et dominus CHYSBERTUS omnes essetis
 vix sufficeretis; magnum est negotium, in brevi me-
 lius scribam intentum. Apparet michi ex litteris, quod
 vos, qui jam simul estis in domino et in domo, inter
 vos conclusistis, quod vultis ibi manere, et quod nos,
 scilicet GHERARDUS, JOHANNES et REYNERUS maneamus
 hic: sed est mala conclusio contra consilia Sanctorum

solus adhuc sum. Quantum cordialius potui scripsi
 JOHANNI et REYNERO, quod venirent ad minus ad tem-
 pus; si venirent, ex tunc haberemus capittulum,
 quia tres faciunt conventum et credo quod nos conclu-
 deremus; eamus et moriamur cum ipsis, aut ipsi
 veniant et vivant nobiscum, licet tamen nos possumus
 hic mori et vos ibi vivere: Quid michi vivere post
 mortem vestram et fratum! Testis est Deus, quod,
 cum fratrem dilectissimum obisse percepisti, 1) talem sensi
 affectum quasi modicum curabam vivere, quia pars
 magna vite et cordis mei sicut ablata; quid ergo michi
 vivere si vos et alii morerentur. Non possum plus
 scribere propter nuntium: Deliberetis propter Deum,
 et quod fuerit faciendum fiat cito; et scribatis propter
 Deum quomodo liberaveritis. Valete.

Scriptum feria sexta ante 2) decollationem JOHAN-
 NIS. Cf. DUMBAR l. l. p. 88. seqq.

19. *illuminatus ille Sacerdos.* Appellatur ita, quia Pres-

1) Nempe LUBERTI BERNERI.

2) *Festum decollationis JOHANNIS.* Celebrabatur in Ecclesia Ro-
 mano Catholica die 29 mensis Augusti, quo die, sub regno im-
 peratoris JULIANI, viri caput se invenire arbitrabantur, qui urbem
 Palestineensem Sebasten destruxerunt. Ecclesia Graeca vero hic
 festus celebrat die 24 m. Febr., die quo sepulcitur in Ec-
 clesia Apostolica Byzantio, 25 m. Maii; festum autem ipsius
 decollationis codem die ac Eccl. Rom. Cath. Cf. H. ALT: der
 Christliche Cultus, pag. 95.

- byteri munere in domo Daventriensi functus est.
20. *Speculum Monachorum.* Liber erat cuius lectione multi delectabantur. Non, ut vulgo putatur, scriptum est a **SANCTO BERNARDO**, sed ab **ARNULFO VAN BOHERI**, Cf. DELPRAT l. l. p. 48. in ann.
21. *domini LUBERTI defuncti.* Inter prima devotorum lumina, resulxit Daventriae sacerdos quidam, nomine **LUBERTI**, filius «**BERNERI JOANNIS DE SWOLLIS** oriundus.» Studiorum Theologicorum causa profectus est Pragam, ubi brevi tempore Baccalaureus factus est. Invitis parentibus ad Florentium profectus et Daventriae commoratus, spiritualis exercitii imbutus est ardore. Cum amico suo, **HENRICO BRUNE**, presbyter factus est aº 1391. Juvenile aetate pestilentiae morbus eum arripit et obiit: «aº incarnationis dominicae 1398, septimo calendas Augosti, in crastino St.-JACOBI apostoli, tempore **BONIFACII IX papae**» Cf. th. à KEMPIS in ejus vita. Causa cur tot fratres juvenili aetate obiere, enumerantur apud DUMBAR l. l. p. 7. «Solebant surgere de lecto hora tertia de mane, solebant intrare lectum de sero hora octavo; consueverant scribere ante prandium per quatuor horas; induti erant camisiis laneas pro lineis» Cf. DELPRAT l. l. 264.
22. *cum fratre Amilio.* Successor fuit reverendi patris domini **FLORENTII**: «de partibus Gelriae, in confinio domini de **BUREN**, oriundus.» Daventriae studiis incubuit et ita

in scholasticis artibus profecit, ut inter primarios doctores aestimandus sit, qui maxima ingenii excelluit subtilitate. Non sacculari vita sed Ecclesiae sed dedit multisque nominibus bene meritus est de Fratrum domo Daventriensi. Post mortem LUBERTI et GERARDI SUTPHANIENSIS, vivente adhuc Florentio, sacerdotis munere functus est. In primis «tempore pestilentiae» curam gessit infirmorum, et quidem eo modo, ut ipse «aegrotare cooperit, sed Deo miserante ad consolacionem fratrum reconvaluerit.» Per quatuor annos et tres menses domui praepositus erat, donec obdormivit in profecto BARNABAE apostoli aº 1404. (10 Juny, Cf. H. ALT. l. l. p. 91). Vide THOMAE à KEMPIS. l. l. in vita ejus.

23. *ad Abbatem in Dickeninghe.* Abbas ille nominabatur ARNOLDUS, et insignis fuit Decretorum doctor. Tempus hujus itineris indicatur a DUMB. l. l. 40': «parvo intervallo dierum post festum beati MARTINI (1398), ipse perrexit una cum fratre Amilio.

24. *Nocte S. Barbarae;* erat dies quartus mensis Decembris. — Ante suam mortem, cum Florentio, regnante Daventriae pestilentiae, Amersfordiam se contulerat: Hoc patet ex epistola supra a me allata, et insuper ex his verbis: «Eodem tempore quo Dominus FLORENTIUS revertebatur ab Amersfordia, reversus est similius ab Amersfordia etiam Dominus GHERARDUS ZERBOLT,

ortus in ZUTPHANIA oppido GHELRIC, qui in vita et conversatione sua fuit exemplaris omnibus." Cf. DUMBAR l. l. p. 47.

25. *Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo.*
Omnes qui de eo mentionem fecerunt hunc annum ejus mortis indicarunt, excepto DUMBAR in Kerk. en Wereldl. Dev. t. I. p. 616, ubi dicit: «In die S. Barbarae virginis obiit dilectus frater noster GERARDUS ZUTPHANIENSIS, Presbyter, a^o Domini 1596.» Eum descriptsse videtur B. GLASIUS in «Godgel. Nederland» in voce, et in «ERASMUS als Nederl. Kerkhervormer» p. 263. Hoc autem non ita est. TH. à KEMPIS hac in re fide dignissimus testis est, et annotat annum 1598. Mortuus est paulo post Luber- tum et ille obiit in fine mensis Julii, anni 1598.

26. *Florentius contristatus est valde.* De ejus dolore haec invenimus: «quod (nempe famam ejus mortis) cum audivisset dominus FLORENTIUS, misit fratrem nostrum JOHANNEM PISTOREM, ut deferret corpus ejus ad sepe- liendum in Daventria: sed cum venisset in Wyndesem jam sepultura erat celebrata ab illis fratribus, gauden- tibus, quod tam preliosas reliquias possiderent. JOHAN- NES vero oppido mestus repedabat, eo quod corpus tam dilecti fratris minime reduceret. Dominus FLO- RENTIUS, lectis vigiliis cum fratribus, vocavit fratres ad cameram suam, exponens iis tristitiam cordis sui, quae non erat modica; nec immerito, quum postquam

orbatus fuerit illis duobus praeclaris luminibus et columnis; scilicet domino LUBBERTO et JOHANNE KASSEL, qui sustentaverunt domum, jam inopinatae amisit fidelissimum conservatorem ac instructorem bonorum morum.¹⁾ Hae laudes plene convenient in vitam, scripta et mores nostri auctoris.

1) Cf. DUMB. l. l. p. 48, 49.

C A P U T II. SCRIPTA GERARDI ZUTPHANIENSIS.

— 236 —

Nostri auctoris scripta quod attinet, dividi possunt, ratione habita eorum indole, in tria genera.

Primum continet ea opera, quae practicum redolent spiritum; ad hoc genus referenda sunt.

a. Excerptum: de utilitate lectionis sacrarum literarum in lingua vulgari.

b. Excerptum: de precibus vernaculis.

c. Ea quae scripsit contra monachos mendicantes.

Secundum genus constituunt duae vitae Jesu, in quibus consilium practicum et asceticum, promiscue occurunt.

Tertium dici potest mere asceticum et hisce duobus libellis exstat.

a. De reformatione virium animae.

b. De spiritualibus ascensionibus,

Singulatim de omnibus mibi agendum est.

SECTIO I.

SCRIPTA PRACTICAE INDOLIS.



§ 4.

De utilitate lectionis sacrarum literarum in
lingua vulgari.

Opusculum hoc, quod prius est e duobus excerptis de
libris Tentonicalibus, invenitur apud Rev. Dav. Ill. pag.
41—55. Melius autem typis mandatum est a n. v. r.
Hist. Episc. Davent. Edit. Fol. Tom. II. pag. 88 seqq.
Incitamentum quo ductus auctor noster haec scribenda esse
putavit, ipse clare et perspicue monet. Eo vivente nonnulli
fuere, qui putarent «illicitum fore laicis et» vel potuis
«sive,» nam iidem significari videntur, «illiteratis divinam
Scripturam relegere et in sacra pagina se excrcere.»¹⁾
Libros devotos qui nonnullas Sacrae Scripturae partes

1) Rev. l. l. p. 41.

translatas continebant et a laicis legebantur, «reprehendere, fugare penitus et eliminare» omnibus modis conati sunt. Huic proposito, cuius fundamentum erat metus ne minueretur Ecclesiae ejusque ministrorum auctoritas, quam strenue se opposuit ZERBOLT. «Ideo,» inquit, «scire expedit utrum et quales libros scripturarum vel Sanctorum doctorum laicis legere liceat, vel potius secundum Sanctorum consilium legere expediat, ut vide-licet proinde appareat qui libri et quales doctrinae sim-plicibus et illiteratis ad legendum convenient vel studen-dum, ac etiam ut ipsi laici et illiterati sciant ad qualem doctrinam et quales libros utilius et fructuosius recurrere debeant, in quibus minus possunt offendere non ignorent.» Valde restitit illis, qui laicis Sacram Scripturam adimere, eaque privare vellent; concedit tamen non omnes ejus partes iis esse utiles. — Secutus exemplum «beati GREGORII in Hom: X super EZECHIELEM et JOH. CHRYSOSTOMI, in opere imperfecto super MATTH. XXV» duplarem in scriptis divinis inveniri doctrinam, demonstravit. Est nempe altera doctrina plana, simplex et aperta, ad cujus intelli-gentiam non opus est ut lector inquiratur vel ratio-cinaretur. Exempla hujus rei affert: 1) «vitae et gesta Sanctorum, passiones et triumphos martyrum, aliasque doctrinas de vitiis et virtutibus, de sanctorum gloria ac

1) Rev. I, I, p. 42.

damnatorum miseria.» Altera autem doctrina reperitur, quae est alta, obscura vel profunda, cuius intelligentiam magnum ratiocinationis ingenium requirit, propter ipsius Scripturae subtilitatem, profunditatem vel obscuritatem. Inter haec recensentur: «de essentia divina, de trinitate personarum, de essentiae unitate.» Priorem doctrinam appellavit: «lac, potum vel aquam,» posteriorem: «escam, cibum solidum vel panem.» Jure eas ita denominari posse, demonstravit argumentis, e Sacrae Scripturae locis, e. g. 1 Cor. III : 1; Jes. III : 1; Job XXVIII, patrumque Ecclesiae dictis, haustis.

Quindecim argumentis probare studet veritatem illius sententiae, qua urgetur, quam sit necesse, ut laici sacras literas suo legerent in idiomate. Dividi possunt in tres classes maiores 1):

- I. Argumenta desumpta ex S. S. ipsa, ex Ecclesiae sententiis, e jure canonico, e patrum doctrina, quae omnibus fidelibus ut legem imponunt cognitionem S. S. Ad hanc classem pertinent arg. I, IV, V, IX.
- II. Ex sensu generali S. S., cuius praecepta omnibus data, et ab omnibus intellecta vel saltem intelligenda sunt, quia supplementum est, ut ita dicam, legis naturalis. Vide arg. II, III, VI, VIII, XV.
- III. Ex indigentia Christianorum, quia, ut verbum Dei

1) BÖHRINGER I. l. p. 653.

illius populi idiomate conscriptum est, ad quem per-
venit, sic etiam sponte sequi debet, ut Evangelium
vertatur in linguam eorum, qui nunc ejus vocem
audire cupiunt. Vide arg. XI—XIV.

Omnia nunc singulatim enumerare, paucisque verbis
illustrare volo.

I. «In laicis recommendatur et est recommendandum
desiderium intelligendi divinas Scripturas et secundum
eas studium adhortandi. Cff. Gregor. Decretal. lib 5
Tit. 7 de haereticis, et Inn. III.» de Trinitate.» 1)

Est quasi argumentum externum, quod illis temporibus,
quibus summa potestate gaudebat principum auctoritas,
magnam habere debuit vim. Sancti viri ipsi commenda-
runt laicis, eosque adhortati sunt ad S. S. studium.

II. «Divina Scriptura non unum singularem statum
informat vel erudit, sed quemlibet in statu suo docet et
instruit.» 2)

Consilium generale S. S. exponitur: nunc docet inci-
pientes, tum informat proficientes, alio loco vitam in-
struit perfectorum. Unicuique quo statu, qua vitae sit
conditione, salutare aliquid habet S. S. praeceptum. Ironice
quaerit auctor: «Quare non essent peccatores ipsi parti-

1) Rev. I, 1, 43.

2) I, 1.

cipes legis divinae, sicut aliorum generalium beneficiorum Dei, cum lex divina et divina Scriptura sit inter divina beneficia praecipuum et singulare.» Participes, dicere vult omnes homines, etiam eruditi, esse cupiunt Dei benignitatis, quare nunc illi impedirent laicos, quominus participes fierent summi illius beneficij? Testes ei sunt Aug. in «doct. Christ. lib III, in epistola ad Bonif. Comitem» et «in explicatione Ps. LVII et LXII;» itidem Hieron. «in Prologo super Pauli ad Eph. epistolam.» Non amplius sequentibus in argumentis patrum nomina enumerabo, nam fere ubique ad eosdem recurrit.

III. «Scientia legis divinae et studium Sacrae Scripturae magis praeccipitur in Novo quam in Vetere Testamento.»¹⁾

Occurrunt nempe in V. T. multa incitamenta et adhortationes, quibus populus Israeliticus ducebatur ad verba Dei in cordibus animisque suis inserenda, uti Deut. VI : 11, 12. Etiam in Psalmis eadem inveniuntur monita, e. g. Ps. CXIX : 2 et I : 2. Quod hic de V. T. dicitur eodem, imo majore jure valet de N. T., quia prius, salva sua gravitate, etiam ex ZUTPHANIENSIS sententia, tantum *παιδαγωγὸς εἰς Χριστόν* est.

IV. «Secundum praecepta Ecclesiae laici certo et debito tempore debent convenire ad Ecclesiam et ibi audire ver-

1) I. l. p. 44.

bum divinum: sed si eis Scripturam scire non licet ut quid eis praedicatur? Quare non eadem possunt legere in libris? cum forsitan melius et citius discerent ex libris quam sermonibus, cum, ut dicit philosophus: visus valeat ad doctrinam sicut auditus.» 1)

Respicere hic videtur auctor ad orationes sive homilias quae tunc temporis a monachis, in primis monachis mendicantibus habebantur, et nullius fere erant pretii. Insuper si hae bonae fuissent, orator sacer hisce pro concione habendis multa quidem, non autem omnia explicare et tractare potest. Sed quum ipsis laicis verbum Dei, vel alios libros devotos legere licitum esset, majorem ex hoc fructum caperent, quam «quindena vel minus unam audire praedicationem ex qua generaliter parum discunt vel retinent.»

V. «Doctores Sanctae Ecclesiae **HIERONYMUS**, **GREGORIUS**, **AUGUSTINUS**, **CHRYSOSTOMUS**, et alii in diversis Epistolis et libris suis exhortantur et admonent laicos ad studium divinarum Scripturarum, sed hoc nequaquam facerent, si malum vel illicitum reputarent.» 2)

Multis exemplis, ex eorum scriptis allatis hoc demonstrare conatus est, qui eo majorem habent vim, quo majore illi patres gaudebant auctoritate. **HIERONYMUS** e. g.

1) l. l. p. 45.

2) l. l.

etiam mulieres, ut Celanthiam et Demetriadem ad hoc studium adhortatus est.

VI. «Sacra Scriptura data est homini a Deo adjutorem et adminiculum legis naturalis, ut videlicet quid homo per legem naturalem jam obfuscatam seu minus luminatam interius videro non potuit divina S. foris adjutus disceret et videret, ut discerneret bonum et ipsum apprehenderet, et malum ut vitaret.» 1)

Quia, ut PAULUS dicit Rom. V : 13, peccatum non imputabatur, quum lex nondum esset, laicorumque oculus interior s. ratio obfuscatus est negotiis secularibus, et occupationibus terrenis, valde utilis GERARDO videbatur, ut lex illa iis innotesceret; tunc enim non essent excusandi, si peccarent, et simul adminiculum iis esse posset, ut abstinerent a malo et tantum perpetrarent bonum.

VII. «Ipsi laici frequenter legunt et discunt carmina mundana, carnalia et Diabolica, secundum sapientiam mundi composita, ad amorem mundi et carnis alllectiva, et ad libidinem incitativa.» 2)

Viri eruditi et literati non reprehendebant laicos tales libros legentes, quod multo majore jure facere potuerant, quam iis interdicere S. S. lectionem et usum. Multi hujus

1) l. l. p. 47.

2) l. l. p. 48.

generis libri eo tempore exstabant, quorum tamen tres insignes et valde promulgati erant, nempe: historiam belli Trojani, ROLANDI furiosi et de formositate Dianae. Si autem harum fabularum lectio eruditioribus non perniciosa videbatur, cur se opposuerunt lectioni S. S., qua homines meliores redi, ad amorem Dei accendi, ad desiderium patriae caelestis inflammari possent? Provocat ad PAULI dictum 1 Tim. IV : 7^a.

VIII. «Laici tenentur scire ea, quae expresse omnibus in lege divina praecipiuntur vel expresse prohibentur, secundum Doctores theologiae et etiam secundum Juristas: Adminus tenentur scire, decem praecepta et peccata mortalia.» 1)

Alio loco 2) haec peccata «capitalia» vocat; numero sunt octo, nempe: «superbia, quae initium omnis peccati regina est, habens sub se septem duces; vana gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, gula et luxuria.» Quum laici haec scire debeant, non prohibere possunt alii, quominus illos libros legant in quibus de his agitur, «vide 1 Cor. XIV : 58.» Hoc loco inserit sententiam «beati GREGORII», sic se habentem: «Sacra Scriptura est quasi quidam fluvius planus et altus, in quo et agnus ambulet et elephas natet.»

1) l. l. p. 49.

2) De ref. virium animae p. 46.

IX. «*Multa sunt juris positivi, quae laici quilibet secundum statum et officium suum scire tenentur, ita quod ignorantia juris positivi quod ipsi scire tenenter ex officio, laicos non excuset.*»¹⁾

Quando, haec est ejus sententia, judices et «Scabini», si injuste judicant, non excusandi sunt, quia juris peritiam habeant necesse est, sic etiam cuique laico, cuiusnam sit status vel officii, lex habenda est, ut legat S. S., ei praescribentem, quid faciendum sit, quid negligendum, eique sit adminiculum in pugna terrena. Non enim laici ad temporis penuriam provocare possunt, nam illas horas hunc in usum convertere debent, quibus nunc «in tabernis potantes et inebriantes se inutiliter et male expendunt.» Nec valet excusatio, se pecuniam non possidere, ut emant libros; utensilia enim ad eorum officium necessaria omni modo acquirere student et illi libri utensilia habenda sunt ad vitam quaerendam aeternam.

X. «*Tota Scriptura primo et originaliter in tali idiomate est conscripta, in quo ab illis propter quos fuit scripta principalius, ab omnibus melius et generalius potuit intelligi.*»²⁾

Vetus enim Testamentum hebraico sermone, Novum graeco conscriptum est. Si autem non licet, ut S. S.

1) l. l.

2) l. l. p. 51.

legatur vulgari in idiomate, cur Prophetae, MATTHAEUS et PAULUS non scripserint Judaeis in Graeco, vel Latino, cur PAULUS item non scripserit Graecis Hebraico vel Latino sermone?

XI. «Plures Sanctorum illis quibus praedicaverunt Scripturas divinas in alia lingua jam editas, ad idioma illorum, quibus praedicaverunt et transtulerunt, ut videlicet non solum audirent in sermonibus, sed etiam legerent ex libris.» 1)

Illustratur hoc argumentum uno e multis exemplo, nempe BARTHOLOMÆI Apostoli, qui dicitur Indi incolis Evangelium annuntiasse, eorumque in usum MATTHÆI Evangelium transtulisse. Sed quare, quaereret forsitan aliquis, latino sermone nunc translata sit S. S., qui ignotus est laicis? Huic respondit argumento sequenti.

XII. «Sacra Scriptura ea de causa a magistris Ecclesiae in latinum versa est eloquium, non ut quibusdam propter latini idiomatis ignorantiam lateret et esset occultata, imo magis ut divina Scriptura quae primo in uno idiomate edita paucis, id est, illud idioma scientibus, erat cognita, omnibus generaliter fieret manifesta, nam latinum idioma ceteris est generalius.» 2)

Hoc igitur non factum est, ut latinum nescientes

1) I. I.

2) I. I.

sermonem, S. S. legere nec intelligere possent; huic enim ratiocinationi repugnat consilium quo Marcus suum conscripsit evangelium, quod est, ut non solum Romani in Ecclesia verbum Dei innotesceret, sed etiam domi forisque in hujusmodi lectionibus permanerent, («Cf. EUS. Hist. Eccl. Lib. II.») sed quia lingua latina eo tempore omnibus fere gentibus cognita erat.

XIII. «Sancti Patres in Aegypto diligentissime et cum summo desiderio Sacram Scripturam studuerunt, nocte ac die inde meditantes.» 1)

Teste enim Cassiano in «lib III et V de institutis Patrum» omnes linguae latinae ignari fuere et paucis tantum cognitum erat sermo Graecus. Inde sequitur eos habuisse versionem Aegyptiacam,

XIV. «Hebraei habent divinam Scripturam in suo idiomate i. e. Hebraico, Graeci in Graeco, Chaldaeи in Chaldaico, Arabes in Arabico, Syri in idiomato suo, Gothi habent eam in eloquio Gothicо, Aegyptii in Aegyptiaco, Indi in idiomate proprio, Russi, Slavi, Gallici quilibet in suo.» 2)

Argumentis ex historia allatis, hanc thesen ab omnibus partibus veram esse probavit, eamque non minus valere quod ad Patrum scripta attinet, quorum multa aliis lin-

1) l. l. p. 52.

2) l. l.

guis translata sunt. «Quae igitur,» inquit, «est ratio vel causa, quod sacra scriptura non debet legi in Teutonico, sicut legitur in Arabico vel Slavico?»

XV. «Illicita foret lectio idiomate vulgari, si vel pugnaret contra legem naturalem, vel a lege quadem Ecclesiastica prohibita esset.» 1)

Neutrū accidit. Lex naturalis cognosci non potest nisi ex S. S. nec evinci, nisi per eam. Ecclesiae patres semper ad hanc lectionem adhortantur, igitur non perniciosum sed potius laude dignum aestimatur, possidere et legere S. S. lingua vulgari.

De pretio huic operi aliisque ZUTPHANIENSIS scriptis statuendo, agam ultima mei speciminis parte.

§ 2.

De precibus vernaculis.

Cognata scriptiunculae modo explicatae, est illa «de precibus vernaculis.» 2) Quasi appendix haberi potest in prius excerptum. Ardentissimum inimicum se praebet ZERBOLT usus Latini sermonis in orationibus vel precibus

1) l. l. p. 53.

2) Rev. Dav. Ill. p. 55—58.

effundendis. Paucis verbis enarabo quomodo hac do re disputet.

Laici jam illis temporibus, quamquam nondum inventa erat ars typographica «libellis orationum scriptis» utabantur, quos constitutis diei partibus legere consueverant. Fuerunt autem nonnulli qui dubitarent, an deceret laicos legere suo idiomate preces et Psalmos; posteriores enim difficiles sunt intellectu et «quae difficulter possunt intelligi non sunt laicis proponenda.» Respondit ad duas quaestiones ZERBOLT. Quod ad primam attinet ei difficile esse nequit, ad hanc respcionem dare, cognito ejus scripto de versione Codicis Sacri. Non solum licitum esse putat laicis preces legere et recitare vernaculo sermone, sed etiam eorum esse officium, si fructus aliquid ex hisce «devotionibus trahere» cuperent. Non sua ipsius auctoritate nixus hanc profert sententiam, provocat, uti ejus est consuetudo ad Apostolum Paulum et patres Ecclesiae. Multos explicat locos Cap. XIV prioris Pauli ad Corinthios epistolae. Unius tantum loci explicationem, exempli instar, recitare volo. Ad versus 14 et 15, qui sic se habent: *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est; quid ergo? orabo spiritu orabo et mente psallam spiritu, psallam et mente,* haec annotat: «Si oro lingua orationem proferens quam non intelligo spiritus meus, id est affectus, orat et ad orandum acceditur, sed mens, id est, intellectus manet sine fructu, nec hujusmodi oratione reficitur. Quid igitur? orabo

spiritu, orabo et mente numquid igitur laborabo orare simul lingua et mente? ut scilicet lingua proferam et ea quae proferam intelligam; cum hoc sit melius quam primum, scilicet orare lingua tantum.» Absurdum ei videtur sententia, melius esse laicis ut orent sermone latino quam vulgari idiomate. Eodem modo haec differunt ac «oratio vocalis et mentalis» Prima enim per se infructuosa esse debet, secunda autem una vera est devotio, «qua intus sine verbis affectum sive desiderium nostrum Deo pandimus.»

Est in oratione quadruplex attentio, sive cordis affectus. Una «superficialis» quae tantum attendit ad verborum sonum, ideoque animum internum parum reficit. Secunda attentio, «qua homo sensum litteralem Psalmi vel orationis suae attendit;» quum igitur haec verba aliquam continent «devotionem», mens orantis ex hac attentione refici potest. «Tertia attentio est intellectualis» quum ex verbis orationis vel Psalmi trahitur sensus spiritualis, quae, ut dilucide patet, hominis animo et menti valde utilis et fructuosa semper est. «Quarto attentio esse potest quando homo attendit Deum et rem pro qua orat.» Prima et quarta accidentur laico qui latino sermone orat, secunda autem et tertia, quae maximi sunt momenti magnumque praebent usum excluduntur oratione in lingua non vulgari, sive sit latina vel alia non cognita.

Ultimo loco quaestionem tractat: «utrum magis expedit

quod laici habeant aliquos Psalmos translatos, quos orantes legant quam quod in orationibus quibusdam «planis verbis compositis contententur?» Ad hanc quaestionem caute et prudenter respondit. Homines multis nominibus inter se differunt, quod uni prodest, alteri nocebit. Sunt, qui «Psalmis et antiphonis» legendis majore imbuantur erga Deum amore; adsunt etiam alii, qui magis expediantur orationibus «planis et usitatis verbis» conscriptis. Accedit quod «unus et idem homo» diversis suae vitae stadiis, diverso modo sentit, diversis rebus delectatur. Suadit igitur laicis, ut habeant libellos partim continentis Psalmos transfusos, partim orationes planis verbis expressas. Huic rei non obstat, quod nonnulli contendunt, Psalmos difficiles esse intellectu, nam si hanc ob causam laicis non licitum esset eos legere, multo minus eos legere debent latino sermone, quia hujus linguae magna pro parte ignari sunt. «Sunt enim multi Psalmi qui cuiilibet oranti convenire possint» quorum effata in suum convertit usum, si verborum significationem intelligit. Hancce lectionem a Patribus laicis esse concessam neque iis esse detrimentum, allatis exemplis probare studet. Inter alia hoc scripsit HIERONYMUS «doctor gloriosus» in laudem urbis Bethlehemiticae in «epistola ad Marcellum»: «In CHRISTI», inquit, «villula, ut supra diximus tota rusticitas extra Psalmos silentium est. Quocumque te verteris, arator stivam tenens allelujah decantat, sudans

messor Psalmis se avocat, et curva attondens vitem falce
vinitor aliquid Davidicum canit; haec sunt in hac pro-
vincia carmina, hae, ut vulgo dicitur, armatoriae can-
tiones.[»] 1)

§ 5.

De tractatu contra Monachos mendicantes.

Ut quaeque institutio bona suos habet inimicos sic
etiam institutum fratrum Daventriensium. Jam tempore
quo extiterat, nec minus eo quo floruit, a clericis
aggressi sunt. Inter illos primum tenent locum, monachi
mendicantes, qui laesi orationibus GERARDI MAGNI, nunc,
postquam his magis relictis fratres vitam agebant prac-
ticam, et in primis curam gerebant educationis plebis,
vehementissimo ardore et ira eos persequi iisque noceri
conabantur. Non amplius enim tam magno apud plebem
gaudebant auctoritate, iisque ademta fuit opportunitas
victum suum querendi. Aggressus magna pro parte facti
sunt contra conditionem specialem, quam fratres occu-
pabant, ratione habita Monachorum institutionum. Aesti-
mabantur «genus esse tertium,» de quibus valeret Paga-
norum dictum de Christianis primo nostrae aeris saeculo:

1) Cf. Rev. l. l. p. 58.

«non licet esse vos.» Ita, ut ait ULLMANN, loquebantur: «Wenn ihr ordensmäßig lebt und doch keinen wahren Orden bildet, so seid ihr zweideutige Leute; eure Stellung ist durch das Gesetz nicht anerkannt, sondern kirchlich illegitim, und ihr müsst aus derselben heraus, entweder ganz in die Welt oder ganz in das Mönchthum hinein, so aber könnt ihr nicht forbestehen.» — Ad hos resellendos GERARDUS ZERBOLT¹⁾ tractatum supra memoratum, scripsit. Pauca excerpta typis mandavit Revius I. l., de quibus nunc agam.

Primo loco se defendit contra accusationem ac si hae congregationes novae religionis, collegii, corporis vel conventiculi nomine dicendae essent. In religione, ea nempe accepta sensu Monachorum, haec tria esse debent «professio, regula, obedientia;» sed horum nullum in istis cohabitationibus inveniebatur. «Non assumsimus,» inquit, «regulam, non fecimus professionem, nemini obedientiam promisimus.» Nec sunt collegia vel «corpora,» nam haec eligire debent «superiores» et constituere «syndicum,» quod apud fratres non fit. Minime autem conventicula nominanda sunt nam «gravius errant, qui conventiculorum convicium eis ausint facere, cum conventicula sint conspiratorum, hereticorum, seditiosorum, qualia crimina in sese non agnoscant.» Vivunt ut «Apostolorum

1) Rev. Dav. Ill. p. 36—40.

discipuli, — eine Vergleichung, die jedoch nicht ganz paszt; 1) — neque vestitu ab aliis discerni possunt. Quisque eo modo vestitus est ut ipse vult et omnia vestimenta quam simplicissima sunt. Bonorum possessio et communio apud fratres ea est, ut quisque regimen et ususfructus eorum quae possidet libenter congregationi tradet, quod omnibus, sive sint laici vel clerici, licitum est et tamen magnopore differt a consuetudine Dominicanorum et Fratrum minorum, qui postremi idealem tantum paupertatem prositeri possunt. — Obedientia vulgaris monachica, quam inferiores superioribus, vel populus saeculari potestati debet, apud eos obtinere non potest, quia «socii sunt aequales.» Obedientia tamen etiam inter aequales locum habeat necesse est, quum alter alteri ad aliquid adhortatur; sic etiam erga rectorem cuius regimen cum illo patrisfamilias comparatur.

Etiam accusabantur fratres, «confessionis actum sibi arrogasse.» De hisce ita agit. Confessio vulgo sic dicta nempe Sacramentalis, «cui annexa sit absolutio et poenitentiae injunctio» nemini competit nisi sit sacerdos et potestatem habeat clavum. Sed si desit sacerdos, «si peccata sunt leviora, si queritur tantummodo auxilium vel consilium, tunc confessio inter laicos locum habere potest.» Magnus fructus ex illa hauriendi sunt; qui confitetur discrimen

1) ULLMANN I. l. p. 180

discit inter peccata et non peccata, inter graviora et leviora,» et hac quidem confessione fratres utunter, recordantes Apostoli dictum 1): Confitemini invicem peccata vestra.»

Ultimo loco reprehendit accusatores, dicentes eos quamquam non constituerint ordinem Monachicum, nihilominus habere instituta. Sed congregatio qualiscunque sit, omnino iis carere non potest. Illis qui solum institutionibus, vere sic dictis, competit, ut «superiorem eligere, officia sacra celebrare» etc. non utuntur; sed alia adsunt, ut «labor manuarius,» quod illustrat exemplis Pauli, Ambrosii, Augustini, Cisterciensium et Cluniacensium, «certis temporibus studere, S. Scripturam sub prandio recitare, vigilare, jejunare, aliaque hujus generis;» haec omnia enim, non ut nonnulli putant «unicuique seorsim,» licita sunt, sed etiam iis qui iisdem habitant domibus. Nam in urbe aliqua «omnes opifices ejusdem artis ad pulsum nonae labores incipiunt, et cum pulsu deponunt» nec tamen hanc ob causam religiosi dicendi sunt; eo minus fratres in commune viventes, monachi sunt, quia una habitant certisque utuntur regulis et perficiunt eadem.

1) Jac. V : 16a.

S E C T I O II.

SCRIPTA , IN QUIBUS ELEMENTUM PRACTICUM,
ET ASCETICUM PROMISCUE ADSUNT.

Inter scripta religiosae indolis , quae ab omnibus , laicis et clericis , multum legebantur Saec. XIV et XV , magni momenti sunt diversae vitae Jesu. Dividi possunt duas in classes. Nonnullarum materies hausta erat solum ex Euangeliis , aliarum autem scriptores hauserunt et ex illis et ex libris N. F. Apocryphis et traditione. GERARDUS ZERBOLT duas hujus generis reliquit , quarum altera invenitur in opere ejus «de Ref. virium animae» Cap. XXVI , altera in «Spiritualibus ascensionibus» Cap. XXX. Pertinent ad classem priorem , cuius , teste Cl. MOLL , 1) paucae tantum fuerunt. Totas hic reponere volo. Prelium illis , universe spectatis , statuendum melius hisce verbis exprimi nequit: 2) «Heeft men eerst opgemerkt wat de

1) Cf. w. MOLL , leven van JOH. BRUGMAN T. II. p. 7.

2) MOLL l.l.

beteekenis van diergelijke schriften voor het godsdienstig bestaan der voorgeslachten was, hoe, waartoe en met welke gevolgen zij gebezigt werden, dan worden zij, ofschoon slechts «ten bchoeve van simpele, eenvoudige menschen» geschreven, en als biographie van den Heiland op zich zelf voor ons geenerlei waarde hebbende, een belangrijk monument des voortijds, een der middelen, waardoor wij indringen in de wereld des gemoeds en der gedachten van duizenden en honderdduizenden dergenen, die vóór ons waren, en wier godsdienstig wezen ons noch als christenen, noch als vrienden van de geschiedenis onzer kerk, een voorwerp van onverschilligheid kan zijn.»

I.

Sequitur vita Christi sub compendio collecta.

Nihil apparet utilius quo salubrius occupes memoriam tuam, quam mysterium incarnationis Jesu Christi. Frequenter igitur, imo quotidie aliqua hora portracta in corde tuo aliquid de vita vel morte Domini tui Jesu Christi. Cogita quomodo dominus Deus tuus post multas praesignationes figurarum, post multa prophetarum oracula, misit angelum suum ad sacratissimam virginem Mariam ut consensum praeberet, atque in ejus utero conceptus est, et IX mensibus immoratus. Cogita quod Dei filius,

cujus magnitudinis non est finis, factus est infantulus, in praesepio vagiit, pannis involutus est, cogita quod tanquam peccator circuncisus est, ut tu a superfluis concupiscentiis possis circuncidi. Et nomen accepit ut Jesus vocaretur, ut intelligeres quia suos, non autem alienos esset salvaturus. Cogita quomodo adhuc rex parvulus, magos ad se traxit ab oriente stella prævia, a quibus adoratur. Et quod ipse esset Christus, testimonium adhibent scribae et prophetia de loco nativitatis ejus aperiens declarante. Cogita quomodo ipse primogenitus creaturae, tanquam lege primogenitorum obligatus, oblatus est in templo. Cogita quod adhuc parvulus fugiendo in Aegyptum, regis HERODIS insidias et persecutions declinavit. Cogita deinde, quod a duodecimo anno usque ad tricesimum, tanquam unus de populo incognitus et ignotus, omnium dominus latitabat, ut te doceret, ut non surgas ad agenda publice, in quibus laus et honor conquiri poterit, nisi prius sederis diutius te humiliando. Surgite, inquit, postquam sederitis. Cogita deinde, quod ipse purissimus et mundissimus ab omni macula, ut omnem justitiam impleret, a JOANNE baptizatus est, et ut aquas baptismatis sanctificaret. Cogita qualiter ut nobis exemplum tribueret temptationibus resistendi, ipse a diabolo tentatus est vicitque, atque nobis dedit exemplum legitime contra inimicos praeliandi. Tunc deinde paucos de mundo abjectos homines et humiles eligit, cum quibus paucis,

totum mundum incepit gladio praedicationis debellare. Civitates circuibat et castra; noctes duebat in oratione pervigiles. Coecis visum tribuit, surdis restituit auditum, leprosos mundabat, daemones ejiciebat. Omnes quoque quibuscumque languoribus detentos, sanabat; ac multa miracula faciebat, quae si per singula scriberentur, ut sanctus dicit Evangelista JOANNES, totus mundus non caperet. 1)

Volens autem hostiam offerre propter quam venerat, allatum a discipulis asellum, coeli terraeque dominus ascendit, magno triumpho et laudum praeconiis, pueris Hebraeorum clamantibus: Osanna in excelsis, Hierusalem ingreditur, ejusque ruinam, et animae nostrae coecitatem et impuritatem, tactus misericordiae visceribus amarissime deplorabat.

II.

Vita Christi sub compendio usque ad coenam.

Dehinc Dei filius, cuius magnitudinis non est finis, factus est parvus infantulus. Cogita quod Deus parvulus vagit, et lachrymatus est in praesepio. Attende hic paupertatem. Nota humilitatem. Angelorum mirare concursum. Pastorum intuere excubias. Angelorum et pastorum aus-

1) JOH. XXI: 25.

culta colloquium. Vide Joseph stupentem. Aspice Mariam jubilantem. Nota faciem et dispositionem pulcherrimi pueri. Sed et attende parvuli magnitudinem interiorem. Mirare sapientiam et reverenter osculare praesepem pueri. Octavo die circumciditur, et Jesus vocatur. Attende quod sine peccato assumpsit peccati remedium. Compatere, quod tam tener puer laeditur, et fundit pro te sanguinem. Considera quomodo lachrymatur exterius, interius homini compatiebatur. Cogita de dulci nomine Jesus. Sume exemplum te ipsum circumcidendi, apparens deinde stella fulgida magos duxit ad Christum. Cogita magorum devotionem, et sequere eos, et devotissime offer cum eis Christo quicquid habes, id est, animam tuam. Considera quantam vilitatem et paupertatem magi invenerunt, nec Christus aliter se disposuit propter magorum adventum. Nota hic triplex testimonium de Christo nato, stellae, magorum, Judaeorum perhibentium testimonium de Christo, ut ne vacilles in fide. Maria deinde Christum obtulit, et oblatione pauperum redemit, quasi primogenitum. Cogita Mariae, Annae, Simeonis et Joseph processionem, et devotus occurre vel aspice et attende dulce colloquium et magnam devotionem. Attende Christi simul et Mariae matris humilitatem. Christus adhuc parvulus fugatur ab HERODE. Attende Christi patientiam et discere pati. Sequere peregrinantes, attende colloquentes, in omnibus discere paupertatem et humilitatem. A duodecimo

autem anno usque ad tricesimum, ipse rex gloriae in populo absconditus latitabat, non docebat, nec mirabilia faciebat; sed dum tam diu tacuit, tacendo maxime docuit, et nil faciendo maximum quid egit, docens te non cito ad docendum surgere nisi sedendo prius et humiliando. Tricesimo vero anno a JOHANNE baptizatur. Cogita JOANNIS reverentiam, qualiter ad Christi tactum tremuit. Cogita Christi humilitatem, qui se JOANNI subjecit, et omnem justitiam, id est, perfectam humilitatem implevit. Nota qualiter hic se tota trinitas personarum ostendit, qualiter pater Christum ad praedicandum misit, dicens, Ipsum audite, et caetera. Dehinc quadraginta diebus et quadraginta noctibus in eremo jejunans, postea tentatur a Satana. Cogita Christi in eremo conversationem, quid ibi fecit, de devota ejus oratione et contemplatione. Nota ibi ejus humilitatem, quia fuit cum bestiis, secundum Marcum. Cogita mirandum Christi patientiam, a daemone portatur, et sustinet. Cogita quam sapienter satanae restitit, et tibi exemplum contulit resistendi. Mirare ejus dignitatem, quia angeli ministrabant ei. Ex tunc quosdam abjectos eligens piscatores, cum eisdem praedicationis gladio, coepit totum mundum debellare. Nota ejus communem vitam cum Apostolis. Nota ejus dulcem conversationem. Considera secretum eorum colloquium in domo, in via. Vide quomodo ipse inter eos est, sicut qui ministrat, cum eis comedit una mensa et scutella. non

habet privilegium, et caetera. Ex tunc deinceps visus est super terram, et cum hominibus conversatus. Siquidem inter homines ambulans et ubique verbum Dei seminans multa miracula, quae nisi a Deo fieri non potuerunt fecit, caecis visum, surdis auditum restituit, daemones fugavit, leprosos mundavit, breviter omnes sanavit, et tot miracula fecit, quae vix scribi possunt. Orantibus peccata indulxit. Ubique praedicabat. Parabolas mysticas proponebat, in quarum una pastorem se dixit ad ovem perditam reducendam advenisse. Nota hic et attende quomodo frequenter sequebatur Christum multitudo maxima, nonnunquam quatuor millia vel quinque millia usque ad erenum. Sequere et tu, et esto circa Jesum, ut verba ejus audias, faciem Christi et Apostolorum inspicias, et colloquia et miracula videas. Volens autem hostiam offerre, propter quam venerat, ut se agnum verum paschalem ostenderet, quinta die ante pascha allatum a discipulis asellum, coeli terraque dominus ascendit, magnoque triumpho et laudum praeconiis, pueris Hebraeorum clamantibus, Osanna in excolis, Hierusalem sanctam ingreditur. Nota asinationis regis Christi humilitatem, quomodo sedet, quomodo est ornatus, qualem habuit regiam familiam. Cerne Jesum Hierusalem cum appropinquaret et videret, lacrymantem et deslentem, magis autem animam peccatricem.

S E C T I O III.

SCRIPTA MERE ASCETICA.

—♦♦♦—

§ 1.

De reformatione virium animae.

Post editionis operum th. à KEMPIS, cuius supra mentionem feci, Tom. II, sequuntur haec scripta sub titulo: «D. GERHARDI ZUTPHANIENSIS viri piissimi opuscula II, nendum religiosis, verum et quibusvis, vitam corrigere instituentibus, accommoda. Prius est de reformatione interiori seu virium animac. Alterum de spiritualibus ascensionibus.» Prius horum volumen continetur pag. 4—62, uberrimumque praebet fontem religiosorum et moralium praceptorum. Paucia tantum monebo de duobus hisce scriptis, nam tempus vetuit quominus bene et fuse tractarem; accedit quod haec duo scripta non arctissimo vinculo cohaereant cum scriptionis meae consilio. Postea etiam spero, fore ut ne desit opportunitas hanc rem tractandi, quando inprimis

demonstrare conabor GERARDUM ZERBOLT, minus Mysticismo fuisse addictum, quam ejus amici GERARDUS MAGNUS et FLORENTIUS RADEVINUS mystici sint habendi.

Incipit auctor anthropologice per «lapsum hominis a statu rectitudinis.» Proponit hunc lapsum sub forma comparationis. Homo nempe est ut viator, qui «descendit de Hierusalem in Hiericho.» Prima urbs ei est quasi complexus omnium bonorum, «visio vocatur pacis,» hic erat status rectitudinis et innocentiae primi hominis. Eum reliquit et pervenit ad statum «vel potius casum mutabilitatis et miseriae,» quem effigie dicenda est Hiericho. Hujus urbis nomen interpretatur «luna, quoniam mutabilitatem innuit.» Fusius de hac re porro agit. Sed homo ad primum illum statum redire debet. Proponendae sibi sunt duae quaestiones, primo: ut semper ante mentis oculos habeat unde cecidit, et quid fuit, ut inde intelligat, quid esse debeat; secundo, ut frequenter discutiat quid modo sit, ut inde sciatur, quanta sibi restat via ut ad illum statum proficiendo restat. Finem ad quem tendere debet homo in exercitiis suis est puritas cordis et charitas. Ut hoc persequatur consilium, ut se reformat et ad sui ipsius perveniat cognitionem, necesse est. Tribus modis hoc fit: ut se ipsum diligenter discutiat, defectus suos ab aliis frequenter et libenter audiat, et viriliter resistat vitiis, quorum fortitudo minuenda est. Si haec omnia, quantum fieri possit quotidie, fecerit, alias fructus ex

hac scientia sui ipsius nascetur, quem vocat: «compunctionem salutarem.» Arcte cum illa cohaeret reformatio
 trium virium animae, intellectus, memoriae et voluntatis.
 Prima reformatur per sapientiam, experimentum et
 sacram lectionam (quomodo haec instituenda sit, diserte
 demonstravit, eaque monita tam vera et pulchra sunt,
 ut etiam pro his diebus valeant.) Sic etiam tres gradus
 accepit in memoria reformanda, quos enumerare longius
 esset. In primis homini commendavit meditationem. Indicat
 certa tempora, quae maxime idonea sunt ad hoc exer-
 citium; hora nempe matutina et vespertina; priore «homo
 magis est sobrius et magis dispositus ad spirituale exer-
 citium, cum necdum involutus sit mundanis tumultibus.»
 Posteriore autem «cessant mundani tumultus, unde
 quietius potest quis se spiritualibus exercere.» Argumenta
 quae homo meditari debet, multa sunt. Meditationem
 formare potest de morte, de extremo judicio, «quo inflam-
 matur ad bona opera peragenda, ut tunc cum justis
 mereatur accipere praemium meritorum;» de poenis
 inferni; de gloria caelesti, «ut hic quiescat et exultet in
 spe, ac ut illa sit gloria dignus, nitatur se veris virtutibus
 adornare; de beneficiis Dei. «Esto igitur» sic alloquitur
 auctor lectores, «animal mundum ruminans, et revolvens
 ea et ipsis similia in corde tuo, ut ita inutilia et vana
 possis a memoria removere.»

Sequitur vita Christi, supra jam memorata. Deinde

agit de coena Domini et «praeparatione ad sumptionem corporis Christi;» generali hac de re nihil novi dat; digna susceptio hujus sacramenti ab homine exigit, ex ejus sententia, haec tria: corporalem munditiam, puritatem conscientiae et actualem devotionem. Exemplum dat quomodo homo se exercere possit in passione Domini et ut bene hoc peragat, semper circa mortem Salvatoris nostri, haec tria «considerare» debet: opus, modum et causam. Opus est historia passionis Domini, uti ab Evangelistis nobis data est, hujusque cognitio unicuique est necessaria. Ipse auctor hanc passionis narrationem «breviter colligit ad modum fasciculorum.» Continetur fasciculis sex. Modus, quo hac in re agit, cognosci potest si unum tantum afferam exemplum, sumam initium fasciculi quarti, quod sic se habet: «Pendens Jesus in cruce sedit. Cogita opus quomodo Christus pendet. Cogita modum et causam. Cogita quid sedit, orat pro crucifixoribus, blasphematur in cruce, et irridetur a praetereuntibus, a principibus, a latrone: Titulus verissimus et indelebilis, Jesus rex, inscribitur» etc.

Egit jam de lectione et meditatione, nunc quaedam sequuntur de oratione; haec tamen silentio praeteribo, quia paulo uberius hanc rem sequenti in opere tractavit.

Restat reformatio voluntatis. Pronitas voluntatis et inclinatio appetituum refrenetur, necesse est. Auxiliantur homini hac in pugna, duae res: «exterior occupatio in

tumultu et gubernatio aliorum sive locus superior.» Omnia hic ab eo allata nostram firmarunt persuasionem, ZERBOLT summam habuisse de humana natura cognitionem. In primis commendat in vitiis carnalibus vincendis, evitare ante omnia otium et operare manibus. Inquirit in has quaestiones: «videndum est primo, cur operemur manibus et quare non jugiter spiritualibus adhaereamus; secundo qualia opera manualia prae cacteris debeamus operari; tertio quomodo se homo in opere manuum exercebit in spiritu ad pietatem.» Multa de his dicit; indeque transit ad septem vitia capitalia et modum, quo pugnandum est homini ad haec debellanda et victoriam de iis reportandam. Agit de certamine contra gulam et gulae remediis, de virtute sobrietatis ejusque gradibus; de pugna et natura luxuria et ejus remediis; de philargyria vel avaritia; de ira; de invidia et ejus ortu. Decursum hic facit inquirens in quaestionem: quomodo ad dilectionem proximi perveniatur et servetur? Magni hanc facit virtutem; homo diligere debet, ut diligatur ab omnibus. «Nihil enim tantum provocat ad amandum alios, quam si nos prius provocaverimus amando; igitur si vis amari, ama.» Nonnulla porro in medium profert de accidia, de tristitia, de vana gloria, de superbia in primis carnali, modumque indicat, quo haec omnia evelli et evinci possint.

Quatuor sequentibus monitis huic tractatui finem imponit. Scit homo se indigere reformatione, et quomodo

hanc instituere debeat, attamen quatuor sunt in omnibus exercitiis spiritualibus attendenda. Primo attende, «quod tua exercitia divinis scripturis, dictis sanctorum et exemplis sint concordantia.» Quicquid enim scripturis dissonat, non immerito est suspectum. Secundo expedit, «ut tua exercitia exponas alicui homini illuminato et purgato, et cum eo de his conferas.» Tertio: «in uniuscujusque exercitiis hoc erit advertendum, ut secundum dispositionem exteriorem et interiorum, et statum ejus sint ipsi expedientia atque proficia.» Unum enim idemque omnibus hominibus non expediet. Unius onus alter portare nequit, quisque igitur haec ante oculos habeat, opus est, inclinatio sua vitiosa, ut ita ordinari possit sua exercitia, «ne illa fortificetur et ipse periclitetur.» Quarto «debet attendere, ut tua exercitia non sint temporanea, id est, tantum ad tempus permanentia, sed usque ad finem tuum, scilicet puritatem cordis jugiter te decentia.» Medicina crebro mutata turbat, non sanat; non convalescit planta, quae saepe transferitur. «Itaque», his verbis finit ZERBOLT, «sic ordina tua exercitia, ut in iisdem perseverans, post hujus exilii incolatum multis ornatus virtutibus et sanctis operibus, dignus introire in gloriam aeternae beatitudinis inveniaris.»

§ 2.

De spiritualibus ascensionibus.

Continetur hoc opus pag. 62—150 editionis supra memoratae. 1) Cursus ratiocinationis fere idem est ac in

1) Ex DELPRAT l. l. pag. 352 videbam adesse in Biblioth. Ducatus Nassavici (*Wiesbaden*) M. S. continens Sermones GERARDI ZUTPHANTIENSIS. Valde cupiebam id inspicere. Auxilio et cura viri Excellentissimi GEVERS VAN ENDEGEEST, hoc ad me pervenit. Expectationi autem meae non satisfecit, non continebat quae optabam. Erat M. S. optime conservatum, forma octava minori, papyro scriptum. Constat ex 235 paginis, quarum 10 non descriptis, diversis, tribus puto vel quatuor manibus scriptis. Confectum esse videtur in Eratrum domo Daventriensi, posteriore 14e saeculi parte. Hanc in prima pagina inscriptionem prae se fert:

Codex monasterii montissae JOHANNIS in Ringalbia, ordinis St. BENEDICTI.

Item tractatus, FREDERICI confessoris monialium in Beverwick, contra pluralitatem confessorum, de regimine sororum.

Item tractatus sive ordo vivendi deo beati HIERONIMI ad custodem virginum.

Item tractatus de dignitate sacerdotis.

Item devotus tractatus de spiritualibus ascensionibus.

Hic FREDERICUS confessor fuit FREDERICUS ab Heilo, monachus in conventu Regulorum Harlemi. Tria priora ejus sunt manus, teste Val. Andr. l. l. p. 249, 250 et JAC. BASILIUS in Sulp. Belg. p. 194 et 316. Posterior tantum nostri est auctoris et M. S. hoc paucis tantum verbis differt ab editione in textu memorata.

priore libro, uberiorius tantum omnia tractantur. In prima parte agit de «valle lachrymarum ad quam homo per primi hominis lapsum decidit.» Indicat quot et quibusnam examinatioibus ex illa descensione se erigere et ad ascensionem spiritualem pervenire possit. In hisce omnibus eandem fere sequitur formam et divisionem ac modo indicavi in «Reformatione virium animae.» Hunc vocarem librum praceptorum moralium incipientibus, illum prosectoribus conscriptum. Uberius tractavit Christi vitam; incipit per annunciationem dominicam, percurrit totam vitam usque ad mortem et agit de resurrectione, de gloria ascensione Christi et missione spiritus sancti; ultima haec in priore tractatu silentio praeterivit. De oratione haec dicit. «Debes autem circa orationem quatuor attendere. Primo de affectu orationis, qualem videlicet orandi debes affectum induere et qualem modum orandi assumere.» Hic enim mutari potest et debet secundum statum in quo homo est; esse potest e. g. affectus timoris, moeroris, dilectionis, admirationis, congratulationis etc. «Secundo, quales orationes breves an prolixas debeas legere.» Prolixiores orationes sunt horae canonicae vel alia similia, brevibus autem utendum est, quando tentatio hominem comprehendit, ne cum dejiciat. «Tertio, pro quibus debeas orare.» Quae corpori necessaria sunt, pertenda sunt a Deo, sed multo amplius et saepius debemus orare ea, quae animum consolari et emendare possunt e.c.

«pro gratia divina, pro remissione peccatorum, pro adēptione regni coelorum.» Non solum pro seipso orare debet homo, sed etiam pro aliis, «pro defunctis in purgatorio, pro amicis, si tentati, si tribulati, si infirmi, si peregrinantes sunt.» «Quarto, quomodo te habebis in oratione et de attentione mentis in oratione.» In primis hominibus suadet meditationem antequam preces fundunt, vel ut attente legant prolixiores orationes, «custodientes cor ab evagatione.» Porro modum indicat, quo vitia capitalia debellanda et vincenda sint, et paucis generalibus monitis, ad omnis generis ascensiones spectantibus, finem operi imponit.

C A P U T III.

DE GERARDO ZUTPHANIENSI SACRORUM INSTAURATIONIS *προδρόμω*.

Perveni ad ultimam mei speciminis partem in qua quis Nostro locus sit inquiratur, inter nostrates, qui Sacrorum emendationem praeparasse censemur. Paucis tantum verbis ejus imaginem depingere volo, ex vita et scriptis viri expressam, unde patebit, quo jure dici possit bene meritus esse erga Reformationis praeparationem.

GERARDUS ZERBOLT videtur mihi, quamvis absurdum videbitur forsitan nonnullis, perfecta ejus biographia, vir fuisse laboriosus et practica indole praeditus. Erunt fortasse inter lectores hujus opusculi qui objicant tempus, in cella monachica peractum, inde concludentes ad indolem magis contemplativam. Longe aliud munus ei incubuit in domo fratrum Daventriensi quam FLORENTIO RADEVINO vel GERARDO MAGNO. Hi res externas curabant institutionis. Noster vero artibus studebat; magis intel-

lectualia ad ipsius perlinebant munus. Non tantum curam habebat librorum, sed magis etiam fecit quam hoc; ei non erant thesauri clausi, sed fons aeternus ex quo et ipse hausit et multis aliis hauriendum praebuit. Reformare voluit omnes, et clericos et laicos; sensit se consilium illud assequi non posse, nisi veritatis cupidos diceret, illam nullibi esse quaerendam nisi in Christo, qui veritas, via est et lux; apud homines veritatem reperiri non posse. Haec lux afferre potuit Sacra Scriptura. Per totam vitam tenuit veritatem THOMAE à KEMPIS dicti: 1) «clericus sive laicus sine libris sacris est quasi miles sine armis, equus sine frenis, navis sine remis, scriptor sine pennis, avis sine alis, ascensor sine scalis, faber sine malleis, viator sine baculo, coecus sine ductore.» Totus erat in pueris et juvenibus educandis et docendis, quibus postea scholae uterentur doctoribus, deinde plurimis in locis institutae. Quot, qui inter illos excelluerunt et quorum nomina glorificata ad nos pervenerunt, illi debent educationem! Omnibus dedit libros et magnopere hoc valuit ad agrum praeparandum seminibus, quae sequenti saeculo in illo jacta sunt et tam celeriter adoleverunt.

Nec tamen vitae publicae defuit, a civium consortio abhorrens. Crebro adibat tam Trajectinam urbem, quam Abbatem in Dickeningle. Horum itinerum jurisprudentiae

1) TH. à K. Doctrinale Juven. VII. 2. Ed. Somm. T. II p. 704.

causa susceptorum , suum quodque contulit ad illum informandam Reformationis praecursorum , et quae in his fecit, ut negotia Fratrum institutionum promoveret, multum contulerunt, ut melius hae cognoscerentur et ubiores darent fructus.

Praeterea, ratione habita temporis quo vixit, vir erat doctus. Legebat et scribebat multum, quam posteriorem artem ipse **FLORENTIUS RADIVINUS** parum callebat. Lectio ejus operum mihi dedit persuasionem, eum, licet brevis ejus fuerit vita, plus legisse et scripsisse, quam multi sui temporis viri docti, senes mortui; quodque illius operum, quae aevum tulerunt, satis demonstrant. Innumera dicta citavit patrum Ecclesiae, magis vel minus cognitorum, et quia multos citat patres Graecos suspicari nobis licet, eum etiam illius habuisse linguae cognitionem. Sed quanti hos omnes fecerit, identidem recurrit ad fontem ex quo hauserunt et illi, Sacram scripturam. Quam quanti fecerit, quantopere hoc nomine prae aequalibus saperet, docent frequentes allegationes ex S. S. petitae. Supervacaneum foret probare multis exemplis, eum hanc non solum totam legisse, sed etiam quam bene illius dictis usus est, ad assequendum quod sibi proposuit nobilissimum consilium, humanitatem et emendationem moralem suorum aequalium. Curavit multa Sacri Codicis exemplaria describenda et majorem suae vitae partem ipse in hoc opere degit.

Sermone utitur latino, pro aetate satis terso. Dicendi genus simplex est et volubilis, et quum unum alterumve demonstrare conatur, persuadens. Modus autem quo materiem suam dividit et multae, quibus utitur, divisiones, quae in lectione valde fatigant, nobis persuaserunt eum, quibus nominibus excelluerit prae ceteris aequalibus, hic vitio laborare, quod cum tempore quo vixit commune habuit.

Haec etiam magna pro parte ejus Theologiae erat ratio ac indeles. Initium dicit a cognitione hominis. Homo objectum est ejus contemplationum. Ab illo et iis, quae in eo perspicit, exstruxit, si ita vocari potest, suum systema. Necessariam esse putat, redemptionem per Christum, sed non minus apud eum valent bona opera. Ceterum vero cum Augustinum sibi exemplum sumsisse, satis perspicuum est. Eodem modo ac ille agit de peccato hereditario, de statu protoplastorum, de aliis.

Sed magis quam hisce omnibus, imo summopere, merita ejus splendent erga Reformationis praeparationem, amore Pro amore linguae vernaculae, quo ducebatur Sacram scripturam in illam converti curavit, atque hoc nomine suum quoque contulisse ad Sacrorum instauracionem praeparandam, censendus est. Cujus rei quo melius vis intellegatur, inserere hic mihi liceat ULLMANNI verba 1): «Es ist nicht zu bezweiflen, das solche Grundsätze (respicit

1) ULLMANN. I. I. p. 123, 124.

ad duos tractatus: «de lectione sacrarum literarum in lingua vulgari» et «de precibus vernacularis», sehr viel thaten, um das Bibellesen der Laien und den Gebrauch der Muttersprache auf dem religiösen Gebiet immer allgemeiner zu machen, und kaum ist es nöthig, die Wichtigkeit hiervon für die Reformation ins Licht zu stellen; das Beispiel LUTHERS steht als geschichtlicher Beweis da. Nur über den Gebrauch der Muttersprache ein Wort. Dieser diente schon bei der Predigt dazu, sie lebenskräftiger, bei dem Gebete, es aufrichtiger und inniger, bei der Frömmigkeit überhaupt, sie gemuthvoller, tiefer, wärmer zu machen; er wirkte, wie die Mystik, für die Verinnerlichung des Christenthums, und aus dieser wuchs ja die Reformation heraus. Aber auch objectiv hat die Sache ihre grosse Bedeutung. Die Reformation war die Emancipation der Nationalitäten von der alles umschlingenden mittelalterlich-römischen Einheit; sie hatte, wesentlich ein volksthümliches Element. Die Nationalität aber haftet an der Sprache; sobald die Europäischen Völker eine Nationalliteratur bekamen; reisten sie der Befreiung von dem lateinischen und Alles zu latinisiren strebenden Rom entgegen, vollends aber, als auch das Christenthum und die christliche Frömmigkeit die Form des Nationalen annahm. Sobald der Deutsche deutsche Predigten hörte und hörte, eine deutsche Bibel las, eine deutsche Theologie hatte, deutsch betete, war

er von Rom innerlich abgelöst und auf die innere Ablösung muszte auch die äuszere folgen.» Omnes conatus ZUTPHANIENSIS id studebant, ut hoc consilium assequeretur, et, ubi idem ULLMANN porro dixit: «wir sehen, wie die Sache der nationalen Emancipation in der Religion, seit Jahrhunderten heranwuchs, und wie namentlich unsren Brüdern vom gemeinsamen Leben daran ein guter Anteil gebührt», adjicere possumus et inter illos in primis GERARDO ZERBOLT.

Non minore honore habendus est ZERBOLT inter institutionis fratrum in commune viventium conditores, quam GERARDUS MAGNUS et FLORENTIUS RADEVINUS; tertium locum obtinet in illo triumviratu Nederlandico, qui, ut stellae primi ordinis, lucent in Medii Aevi tenebris. Vera sunt quae de eo dixit hodiernus Historiographus 1): «Im Hause (nempe Daventriensi) represäntirte GERHARD ZERBOLD das geistige Element, — unstreitig der bedeutendste Kopf der Gemeinschaft.» Minus adhuc notus est quam RUYSBROEK et THOMAS à KEMPIS, et quibus nominibus ab illis differat, minus tamen vitae contemplativae illi fuit addictus et minus monachicam secutus est agendi sentiendique consuetudinem quam hic.

Putet forsitan quis, his perfectis, me cum majoris

1) BÖHRINGER.

fecisse, quam revera, se praestitit, spero tamen fore
ut mecum consentiat, de illo valere hoc Christi
dictum: *Ἐνδιαίτης δοῦλος ἀγαθὸς οὐκ πιστέ, ἐπὶ δὲ λίγα ἡσ*
πιστός, ἐπὶ πολλῶν σε παταστήσω εἰς εἰσ τὴν
χαρὰν τοῦ οὐρανού σου. 1)

1) Matth. XXV : 21.

TANTUM.

THESES.

100-----

I.

Falluntur, qui GERARDUM ZUTPHANIENSEM diem supremum obiisse ante annum 1598, statuant.

II.

Principium mysticum ac practicum, quod utrumque in plurimis Reformationis praecursoribus conjunctum fuit, in GERARDO ZUTPHANIENSI quoque cernitur, ita tamen ut hoc principium praevaluerit illi.

III.

Post GERARDUM MAGNUM et FLORENTIUM RADEVINUM, tertium in schola Daventriensi locum, majore jure GERARDO ZUTPHANIENSI, quam JOHANNI BRINCKERINKIO vel aliis assignandum esse, judicamus.

IV.

Perperam multi ex hodiernis Criticis, neglectis externis argumentis, fere unice internorum argumentorum rationem habent.

V.

Licet rationis effata si sequimur, *ἀποκατάστασιν* non statuere non possimus, ac multa quoque insint Literis Sacris quae huic sententiae faveant, probe tamen tenenda sunt quae dixit ZWINGLIUS: (in Epist. ad Fontejum)
 «Sed heus tu! caute ista ad populum et rarius etiam!
 Ut enim pauci sunt vere pii, sec etiam pauci ad altitudinem
 hujus intelligentiae pervenient.

VI.

Patefactionis divinae notio nequaquam illam quae in rerum natura et in historia est conspicua absolvitur.

VII.

Principium Ethices si esse conceditur, maxime se mihi commendat Eph. V : 1 , 2a.

VIII.

Vaticiniorum Jesajae Cap. XL—LXVI prioris partis auctori non sunt abjudicanda.

IX.

Act. XXVI : 28 verba *εν ολίγῳ* accipienda et vertenda sunt: «brevi tempore.»

X.

Unica via quae patet civitati Christianae, bono cum successu, manumittere servos, haec mihi esse videtur: servi ante manumissionem doceri debent, quomodo libertate utantur.

XI.

Doxologia, quac invenitur Matth. VI : 13 e textu
rejicienda est.

XII.

Nequaquam Protestantismi indoli repugnare mihi vide-
tur, quod Sacrorum antistes, coram concione populi verba
faciens, toga sit indutus.

TEGEN DEN PROMOTIE-DAG

VAN MIJN VRIEND

W. A. KONING.

Reeds nadert vast, mijn vriend, de dag,
De dag die 't eind voor u zal wezen
Van jaren nooit genoeg geprezen,
Die 'k onvergeetbaar noemen mag.

Maar 't einde is daar. Zij 't eind slechts goed;
Zij 't den vervlogen tijd een kroone;
Zoo vindt ge dan een blijde, een schoone
Belooning, die u eere doet.

Maar toch, blijf dit uw hoogste eer
('t Geen met de thans vervlogen jaren
Een naauw verband steeds zal bewaren)
Met vrucht te werken voor uw Heer.

Daartoe zij u die geestkracht goed,
Die kenmerk was van 't werk en 't leven
Des ed'len, dien gij hebt beschreven,
De geestkracht van het vroom gemoed.

1927410

Blijft die u bij, dan zal uw pad
Van vreugd meer dan van droefheid tuigen,
Dan weet gij kwaad tot goed te buigen,
Gij hebt dan wel de duurste schat,

Schat voor u zelf, maar in u mee
Schat voor die zich uw' leiding trouwen;
Ze leert uw roeping te beschouwen
Als roeping tot de hoogste vreë.

UTRECHT,
6 Junij 1888.

H. V. Cz.

